

60023

DE

**ARTIFICIALI PARTUS PRAEMATURI  
PROVOCATIONE.**



**DISSERTATIO INAUGURALIS OBSTETRICIA**

QUAM

**CONSENSU ATQUE AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS:**

IN

**UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI**

UT GRADUM

**DOCTORIS MEDICINAE**

RITE ADIPISCATUR

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*Medicus Alexander Koslow,*  
Tartu Riikliku Ülikooli  
Raamatukogu  
30151  
DORNBURGENSIS.

**DORPATI LIVONORUM,**

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

MDCCCLVIII.

1848

**FRATRI DILECTISSIMO**

**AMICO**

**CONJUNCTISSIMO, NEQUE UNQUAM OBLIVISCENDO**

**DOCTORI MEDICINÆ**

**NICOLAO KOSLOW,**

**IN CAESAREA**

**UNIVERSITATE LITERARUM SANCTI WLADIMIRI**

**PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO**

**HANC DISSERTATIONEM**

**SACRAM ESSE VOLUIT**

**AUCTOR.**


**IMPRIMATUR**

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis fuerit excusa, quinque ejus exempla tradantur collegio ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die XXVI. mens. Febr. an. 1848.

(L. S.)

Dr. *Bidder*,  
ord. med. h. t. Decanus.



432887

12/10/48

## PRAEFATIO.

**E**x quo primum *Macaulay* operationem, quam nobis describendam sumsimus, exsecutus est, usque ad nostram aetatem fere saeculi spatium praeteriit, et in librorum, qui de eadem in lucem emissi sunt, multitudine nos hanc potissimum materiam ad componendam dissertationem elegisse, alienum fortasse videatur. Nihilosecius tamen hac in re non omnino incommode nos egisse arbitramur. Artificialis enim partûs praematuri provocatio, ex philosophica mentis humanae evolutione profecta, qua tota de arte obstetricia doctrina aliam, eamque magis salutiferam rationem iniit, his temporibus nequaquam ad eum perfectionis gradum provecta est, quem videmus alias artis obstetriciae partes attigisse. Si, quae recentiore aetate in hac artis medicae parte praestita sint, ea, qua par est, animi attentione consideraveris, nunc demum egregiae Anglorum inventioni id tempus incipere videbis, quo vi-

rorum eruditissimorum studiis splendidior ei sors afflu-  
geat. Verum tamen, sicut in omnibus rebus, quae in eo  
sunt ut excolantur, ita hic etiam virorum doctorum sen-  
tentiae haudquaquam ubique congruunt, quas tamen di-  
judicare, ob eam ipsam causam difficillimum est, quod,  
quae praestita sunt, hic illic dispersa inveniuntur, atque,  
id quod gravioris momenti est, de re, quam sola expe-  
rientia certissime decernere potest, ad hunc diem nullam  
majorem habemus observatorum collectionem, ex qua,  
qualis operationis sit eventus, monstrari queat.

In eorum quae ipsi experti sumus inopia, nos nihil  
novi afferre potuisse non mirandum est, neque nos hoc  
nobis ullo modo arrogamus. Itaque hic nobis propositus  
erat finis, ut ea, quae jam exstarent, quo facilius paterent  
aliis, colligeremus, passim nostro ipsorum iudicio adjecto,  
ubi quidem id, uti theoreticum, in disciplina solo usu innixa  
admitti potuit. — Quo successu autem, fontibus, qui in  
promptu erant, non omnino sufficientibus, in spatii angu-  
stis, quibus nostram commentationem coërcere debuimus,  
huic fini proposito satisfecerimus, lectoris benevoli iudi-  
cio volumus relictum.

---

## SECTIO PRIMA.

*Definitio et historia artificialis praematuri partus pro-  
vocationis. — Opprobria in operationem conjecta  
eorumque examinatio.*

**S**ub artificiali partus praematuri provocatione ea intelli-  
gitur agendi ratio, cui propositum sit, ut infans vivus et ad  
vivendum aptus in tanta pelvis angustia, in qua feminae antea  
non nisi mortuis infantibus ope perforationis vel difficilium ope-  
rationum forcipe factarum solvi poterant, sine majore matris  
periculo in lucem edatur.

Quae definitio, si vere existimas, recta est, si modo,  
certi gradus angustiam pelvis solam rationalem operationis  
adhibendae indicationem esse, posueris. Sin autem alias quoque  
indicationes exstare reputaveris, quibus operatio postuletur, ista  
definitio non nisi ex parte vera est. — Aptius itaque foret, sic  
dixisse: artificialem praematuri partus provocationem eam esse  
actionem, qua nos, variis rebus vel matri vel infanti vel ambo-  
bus simul periculum minitantibus, quominus ultimum graviditatis  
finem expectemus, impediti, eo tempore, quo infans quidem  
non omnino maturus, at vivendo tamen aptus sit, artis ope  
partum provocemus, infantis expulsionem ipsi naturae relin-  
quentes.

Ex qua definitione praeclara ejus actionis idea elucet, conser-  
vationem dico tum matris tum infantis, quum, Germanis medicis  
obstetricantibus consentientes, nos hoc tantum sensu operationem  
probare possimus. Simul illis verbis, quod discrimen huic ope-

rationi cum altera, partu violento, intercedat, satis explicitum est, cum qua posteriore, vehementer dolendum est, nostram saepenumero permixtam et confusam esse.

Cognitio de pariendi impotentia et hujus mali cavendi desiderium in remotissimam antiquitatem recedit. *Aetius* (Ej. *Tetrabiblos* etc. Latine per *Cornarium*, Basilicae 1542. Sermo XVI. Cap. XVIII. pag. 368 seq.), uti constat, primorum auctorum methodos, quibus in feminis ad pariendum non aptis ad abortus commovendos usi fuerint, copiosissime describit. Hoc quidem verum est: attamen altera ex parte id quoque negari nequit, antiquos hac sola imperfecta auxilii latione contentos ideam de matre infanteque simul conservandis nondum novisse. Quae res mirationem moveat, eamque eo majorem, si facta, ex quibus recentiore aetate idea de artificiali partus praematuri provocatione fluxerit, veteribus etiam non incognita fuisse, tibi persuaseris. Antiquos, apud quos (ut de naturalibus abortibus partibusque praematuris, qui ubique et omni tempore satis vulgati sunt, taceam) artificialis abortus provocatio perquam usitata operatio erat, vix ullo modo fugere potuit, infantis magnitudinem graviditatis periodo respondere. Quum *Hippocrates* jam infantem 7<sup>mo</sup> vel 8<sup>vo</sup> graviditatis mense editum ad vivendum aptum esse memoret, hanc quoque rem antiquis satis notam fuisse, liquet. Quodsi iidem, id quod dubitare non possumus, saepe observandi occasiones habuerunt matris mortem ex abortu vel naturali partu praematurato admodum raro occurrere, omnia, quae ad artificialem partum praematurum inveniendum ducere possent, aderant, quae tamen nihilosecius ab antiquis omnino neglecta fuerunt. —

Nihil melius etiam seriore tempore factum. *Guillemeau*\*) (De la grossesse et de l'accouchem. des femmes etc. Paris 1598.)

\*) Etsi hic illic librorum, qui citati sunt, nonnullos ipsi non legimus, tamen, quod appellavimus, ideo factum est, quia eorum aliqua est gravitas historica: quibus locis paginarum numerum, quem apud alios invenimus, non censuimus memorandum. —

et *Mauriceau* (Traité des maladies des femmes grosses etc. Paris. VI Edit. 1721.) artificialem uteri oris dilatationem et velamentorum punctiorem cognitam habebant, quibus rationibus, ut ad partum juvandum, si uteri haemorrhagia periculum minaretur, dolores suscitarent, uti solebant; quin *Puzos* (Traité des accouchem. Paris. 1759. — Memoires sur les parties de sang. etc.) ab inventione artificialis partus praematuri non longe abfuisse dicere licet, quippe qui rationem a *Guillemeau* et *Mauriceau* prolata in varias graviditatis periodos extenderet, paulatim os uteri dilataret, aquas rumperet doloresque inde commotos sustentaret. Tamen nemini in mentem venit, omnia ista facta, inter sese disjuncta, in unum conjungere. (*Kilian.*)

Quum itaque, malis rerum conditionibus non mutatis, nil opis in promptu haberent, *William Cooper* (Medical observations and inquiries. London. 1772.) anno 1769 abortum artificialem suasit, quae ratio, arte non longius provecta, jam ab *Aetio* (l. c.) nec non *Avicenna* (Ej. Canon.) etiam atque etiam commendata fuerat. *John Barlow* et *J. Hull* huic consilio assenserunt, quibus nondum satis habitis, *Blundel*, (v. *Froriep*, Notizen. Bd. 20. No. 20.) ut ad evitandam sectionem caesaream abdominis cavitas supra symphisin ossium pubis aperiretur, uterus instrumento acuto perforaretur ovoque destructo ad novam conceptionem cavendam pars ex tubis *Fallopianae* exsecaretur, auctor exstitit, quo consilio vel antiquorum crudelitas erubescat!

Recentiori tempore, ut decus actionis salutiferae, artificialis partus praematuri inventi sibi vindicaret, reservatum erat. Jam anno 1756, *Denman* (Introduction to the Practice of Midwifery. London. 1795. 2. Ed.), ex relationibus *Dr. Kelly* Londini narrat clarissimos medicos, de introducendo in artis usum artificiali partu praematurato consultaturos, congressos fuisse. Omnium consensu ea ratione probata, eodem jam anno *Macaulay* artificialiter partum praematurum ob pelvim angustam provocare ausus est. Is, ruptione aquarum usus, vivum infantem in lucem produxit.

Cui potissimum honos ideae de artificiali partu praematurato primum prolatae adtribuendus sit, satis certum et exploratum non est. *Kilian* (*Operationslehre für Geburtshelfer. Bonn. 1845. 2. Aufl. p. 253.*) ipsi *Macaulay* eum adscribit, dum non desunt, qui huic non tribuant nisi primae operationis effectae decus. Probabilius nobis videtur cl<sup>m</sup> *Kelly* inventorem habere, namque id vel ex *Hullii* verbis consequitur, qui doctorem *Kelly* medicis inter se consultantibus communicasse narrat, se operatione ter in eadem femina suscepta duos infantes vivos in lucem protraxisse (*Wenzel, allgemeine geburtshüfl. Betrachtungen und über die künstliche Frühgeb. Mainz. 1818. p. 162.*).

At, quoquo modo res se habet, exemplum a *Macaulay* oblatum in popularibus ejus magnam vim exhibuit: namque ea operatio, cum summo studio atque ardore ab omnibus Britanniae medicis obstetricantibus memoratu dignioribus recepta, non minore opera latius propagata est. Soli *Leighton* (*The London Medical Review etc. 1800.*) et *Nisbet* (*The clinical Guide etc. of Midwifery. London. 1800.*) operationis adversarii coorti sunt. Inter viros, qui operationem, ex quò primum prodiit, coluerint de eaque perficienda optimè meriti sint, satis duco nominasse celeberrimos: *Kelly, Denman, Hull, Headly, Hardman, James Barlow, John Barlow, J. Marshall, Barthey, Burns, Gibbon, Merriman sen. et jun., Clough, Ramsbotham* patrem et filium, *James, Hamilton, Clarke, Hopkins, White, Davis, Blundel, Cory, Conquest, Ingleby, Ashwell, — a. q. (Kilian.)*

Serius demum, viginti fere annis post primam operationem a *Macaulay* susceptam praeterlapsis, artificialis agendi ratio in Francogallia proposita fuit. *Roussel de Vauzelme* primus (*Reisinger, die künstliche Frühgeburt etc. Augsburg u. Leipzig. 1820. p. 21.*), prosperis experimentis a medico Parisiensi *Le Vacheur, de la Feutrie* institutis nixus, eam rationem in usum vocasse fertur. Attamen *Le Sue* (*Essais historiques, littéraires et critiques sur l'art des accouchements. Paris. 1779.*) ei repugnans, *Petit et Destremeaux* jam prius operatio-

nem et suasisse et ad effectum adduxisse, contendit (*Reisinger, l. c. p. 22.*). Verum in fatis ita fuisse non videtur, ut ista ratio eadem laude, qua in sua accepta fuerat patria, hac quoque in terra gauderet. Clarissimus enim *Baudelocque*, cui nullo modo placebat, vix aditum sibi parantem operationem disertissimis verbis impugnavit (*Ej. L'art des accouchements. T. II. p. 221. Paris. 1781.*). Egit ita vir doctus, quoniam finem rationi propositum non satis intellectum habebat, eamque quum permiscuisset cum partu violento, res tristissima inde consecuta est. *Gardien, Capuron, Dubois* aliique summa, qua *Baudelocque* florebat, auctoritate inducti artificialis partus praematurati adversarii acerrimi exstiterunt. — Etiamsi *Baudelocque* non primus illam operationem aspernari et rejicere studuit, quum jam *Le Sue* priore tempore simile exemplum edidisset (*l. c. p. 284 german. edit.*), tamen, non injuria dicere videmur, nisi ille auctor fuisset, nunquam rem eo progressuram fuisse, quo progressam esse historia edocet.

Quae cum ita essent, Francogalli summa pertinacia operationis usum neglexerunt, et, quamquam *Gardien* (*Traité complet d'accouchements etc. Paris. 1816.*) judicium suum, quo eam condemnavit, irritum esse jussit, tamen ex hoc non multum utilitatis manavit. Etiam anno 1827, quum Dr. *Costa* academiam medicorum Parisiensem, ut sibi in muliere cordis aneurismate laborante artificialiter praematurum partum provocare liceret, rogavisset, id, quod petiit, facere vetitus est; rationem enim istam turpem et inhonestam videri (*Schmidt, Jahrb. d. g. Med. Bd. 19. p. 57.*) Haec res, quantopere, ne operatio in Francogallia probaretur, celeberrimi *Baudelocque* auctoritas prohibuerit, satis nobis documento est.

Eadem rei ratio usque ad novissimam aetatem mansit, unde, quo major operationis contemptus sit, eo clarius meritum esse ejusdem denique in hac quoque terra in praxin introductae, intelligere licet. Quod decus Germano cuidam *J. A. Stoltz*, optime merito professori Argentoratensi debetur (*Mémoires et observations sur la provocation de l'accouchement praematuré dans les*

cas de retrecissement du bassin. Archives medic. de Strassbourg, 1835—1836.) Idem tamen celeberrimo *Burckhardt* (*Kilian*, l. c. p. 263), qui *Stoltz* modo memorato viam munivit, non denegari potest, ante quem virum jam *Foderé*, ut operatio a medicis Francogallicis reciperetur, haud parum enisus est (Archives générales de Médecine etc. Tom. VIII. p. 507 seq.) — Ex anno fere 1831 artificialem partum praematurum in Francogalliam acceptum numeres, indeque a doctissimis *Dezeymeris*, *Paul Dubois*, *Velpeau*, *Cazeau* al. q. (*Kilian*, l. c. p. 263. — *Schmidt*, Encyklop. p. 572.) operationem defensam atque summo ardore commendatam videmus.

In Germania artificialis partus praematuri provocatio serius, quam in Francogallia, proposita est. *Wenzel* (l. p. 151 et 169) primum *Weidmann* hac in terra operationis ejus instituendae auctorem fuisse, affirmat, cui tamen sententiae ipsius *Weidmann* haec verba „circa septimi mensis graviditatis initium os uteri successive dilatare foetumque vi educere“ (Ej. Comparatio inter sect. caesar. etc.) aperte contradicunt. — Inclyto *Francisco Antonio Mai* gloria istius rationis in patria sua (1799) primum commendatae, vel, si *Kiliano* (l. c. p. 258) fides habeatur, inventae adtribuenda est. Neque negare possumus, si virum doctum in suo libro (*Mai*, de necessitate partus quandoque praemature vel solo manuum vel instrumentorum adjumento promovendi. Heidelbergae. 1799.) nullam de Anglorum methodo mentionem injicere, reputemus, hanc ob rem vere eum pro altero ejusdem operationis inventore haberi posse. At, ut eam quaestionem dubiam relinquamus, tantum, inter operationem primam anno 1756 a *Macaulay* factam et opus *Fci Aii Mai* anno 1799 editum tres et quadraginta annos intermedios esse, admonemus, quo quidem tempore Germanos nihil de Anglorum ratione cognovisse, nos perquam mirum esse crediderimus.

Illustrissimo *Carolo Wenzel* laus operationis in Germania primum peractae propria est, quam quidem anno 1804 primum sine cognitione anglicae rationis, quae ipsi serius de-

num ex operibus *clmi Hull* innotuisset, ob pelvis angustiam susceptam esse ferunt (*Schippan*, über die künstliche Frühgeburt. Würzburg. 1831. p. 24.). Verumtamen Anglorum merita jam anno 1800 ex annalibus medicis Altenburgensibus in Germania cognita fuerant (*Reisinger*, l. c. p. 40. § 27.). —

Operatio, quamquam hanc in terram accepta, tamen omnium in se animos tum demum convertere coepit, quum *Froriep* Londini accuratiores cognitiones de ea collectas in libro suo (Ej. Handbuch etc. 5. Aufl. 1818.) publici juris fecisset. Praeterea Anglorum relationes, praesertim quas *Merriman* protulit, ad operationem eam per Germaniam latius propagandam multum contulisse, certum videtur.

Hic quoque adversarii non defuerunt, inter quos ut maxime memorabiles appellatos volumus *Bernstein*, *Osiander* seniore, *Ebermayer*, *Gumbrecht*, *Stein* juniorem, *Jörg* et *Piringer*. Quamquam hac in terra jam primo initio alia omnino atque in Francogallia rei ratio cernitur: namque ne ea quidem, quae sagacissime *Jörg* opposuit, operationis defensores ab iterandis experimentis abstertere poterant. Multo minus satyra *Stein* junioris valuit, quae quidem, uti digna erat, non movit nisi risum. — Hoc modo operatio in Germania effloruit, neque injuria, quemadmodum fundamenta doctrinae de artificiali partu praemature ab Anglis jacta fuerint, item a Germanis in aedificio continuando plurimum elaboratum esse, affirmare possumus, quam ob causam secundum Anglorum auctoritatem in hac artis medicae parte Germanos plurimum hodie valere cernimus. — *Wenzel*, *Froriep*, *El. Siebold*, *Schilling*, *D'Outrepoint*, *Kluge*, *Riecke*, *Carus*, *Haase*, *Falco*, *Vezin*, *Mende*, *Seulen*, *Naegle*, *Ritgen*, *Kilian*, *Meissner*, m. q. a. partim suis observationibus, partim operatione multis in rebus ad perfectionem adducta optime merebant.

*Salomon* Lugduni Batavorum primum, ut operationi in Bataviam aditus pateret, effecit, ubi quidem a viris doctis *Vrolik* et *Wellenbergh* acerrime defensitata est. — In Italiam *Lovati*

eam introduxit, atque *Ferrario*, *Bili* et *Bongiovani* multum ad eandem hac in terra propagandam juverunt. In Belgia patrum et defensorem nacta est *Marinum*; in Germanis Rossiae provinciis, Dorpati Liv., a professore summe venerando *P. U. Walter* defensa atque prospero cum successu peracta fuit. In Dania ejus patrocinium *Paul Scheel* (Jahrb. d. g. M. von *Schmidt*. 1838. Bd. 19. p. 56.) in se suscepit. Quin etiam in Lusitania eo, quo digna est, modo operatio accepta, qua de re mentionem infert *Kessler* (*Rust's Magazin* etc. Jahrg. 1841).

Ex superioribus, artificialem partus praematuri provocationem jam, quum primum exstitit, magno adversariorum numero impugnatam, ne in artem medicam reciperetur, atque in praxin induceretur, saltem in una terra cum summo generis humani detrimento ad novissimam usque aetatem retardatam fuisse, cognoscimus. — Ita quas ob causas et quo jure impugnata fuerit, quaerendum est, nobisque hic sub historicae dissertationis nostrae partis exitu controversias de hac re proponere liceat, quum praesertim de ratione eo tempore, quo nemo fere amplius est, qui ejus utilitatem atque commoda in dubitationem vocet, disserentes, partem ejus polemicam jam absolutam temporis praeteriti esse judicare possimus. Re vera, quo melius clariusque rem intelligamus, commodum videatur, iis, quae contradicta sunt, explicandis principia praemisisse, in quibus ideam artificialis praematuri partus, ut quo tum mater tum infans servari possent, positam esse voluerunt. — Sunt ea: 1) Observatio, qua infantem inter 30<sup>m</sup> et 36<sup>m</sup> graviditatis hebdomadem editum certe minorem esse scimus, quam omnino maturum, deinde ejus capitula ossa aliquanto molliora et compressibilia, unde fit ut hac periodo pelvim permeare possit, quae infantis omnino maturi partui impedimenta objiceret maxime terribilia. 2) Quod infans eo tempore partus certissime ad vivendum idoneus ad summam senectutem progredi potest. 3) Quod partus eo tempore per-

actus matri non est damnosior, quam partus ex omni parte normalis, suo tempore factus. 4) Quod arti auxilia sunt, quibus partus quolibet tempore producatur, quaeque nullo modo matri vel infanti damnum afferant. — Quae operationi, ex quo tempore primum inventa est, objecerunt, haec fere sunt:

1) Fieri non posse, judicabant, ut ea, qua opus esset, accuratone gradus angustiae pelvis constitueretur pariterque difficile esse, quanta foret corporis infantilis magnitudo, destinare, quas ob causas in certis casibus, opinantur, non licere vel prognosin vel terminum, quo operatio suscipienda sit, statuere (*Nisbet*, *Joerg.*)

2) Perdifficile esse nonnullisque in casibus prorsus fieri non posse, ut tempus conceptionis diligentissime statueretur, quod cum ita esset, operationem, putabant, commodo tempore non electo, vel justo maturius vel serius peragi. Utroque in casu ei, qui propositus esset, fini non satisfieri: namque in priore infantem, quod ad vivendum nondum aptus esset, interiturum, in altero autem ob gravem in pariendo laborem vel adjumentis ad partum finiendum necessario adhibitis idem accidere posse (*Baudelocque*, *Capuron.*)

3) Terminum operationis eligere difficile esse, etiamsi, quantum temporis graviditas durasset, certissime ad diem exquisiveris. Nam si infantem conservare velis, operationem quam serissime, dicunt, suscipi debere; sin autem matrem ex periculosa aliqua operatione, veluti perforatione, damnosa operatione ope forcipis, caesarea sectione, erepturus sis, partum eo tempore provocandum esse, quo infans ad vivendum sine dubio nondum idoneus sit. Sic nonnullos infantes 6<sup>to</sup> vel 7<sup>mo</sup> graviditatis mense pelvim coarctatam permeaturos, quorum partus 8<sup>o</sup> mense jam fieri nequeat. — Certum maturitatis et vitalitatis gradum non semper eidem graviditatis momento respondere: unum embryonem celerius evolvi, alterum tardius, id quod a priori exquirere non liceat. Itaque saepius finem propositum nos non adsecuturos; altero in casu talem infantem produci in lucem, qui in partu

difficultates praebeat, in altero eum, qui, quamvis ad vitam aptum esse suspiceris, vel 9<sup>no</sup> graviditatis mense vi vitali careat (*Osiander.*)

4) Eo tempore, quo operatio suscipi soleat, genitalia omnino nondum praeparata, censent, eaque in re inter naturalem partum praematurum et arte provocatum nullam exstare analogiam. In illo collum et os uteri jam antea gradatim evolvi, emolliri, brevius fieri et dilatari coeptum esse, quae omnia in artificiali partu praematurum non eveniant. Tum naturalem partum praematurum et matri et infanti longe prosperiorem evadere, quam artificialem: in hoc enim uteri collum adhuc durum ac tensum, non satis relaxatum, nondum brevius factum, raro paululum apertum esse. Uteri evolutionem, quod ad fibras ejus musculares attinet, hic imperfectam adhuc esse, unde foetus expellendi imbecillitas periculumque rupturae uteri enascatur. Itaque dolores quoque hic imperfectos, parum efficaces fore, et necessarium esse, ut ad uteri collum brevi tempore dilatandum in uteri actione auxiliis irritantibus internis vel externis vim exhibeamus. Uteri autem energiam brevi languescere, quippe quae adjunctis naturae voluntati contrariis excitetur, atque, quo major irritatio, qua opus est, fuerit, eo majora et matris et infantis fore discrimina. — Si aquarum ruptione utaris, nesciri tamen, quando pariendi actio intratura sit, quae si cesset, vel omnino languescat, certum esse, infantem, tutamine liquoris amnii orbatum, pessum dari, quum, quo tenerior sit, eo minus aquarum inopiam perferre possit. Et, si forte non ante partum jam moriatur, tamen id partus ipsius tempore accidere, quoniam partus praematurus, quum praesertim aquae mature defluerint, longius tempus, quam maturus, perduret (*Baudelocque, Gardien, Bernstein.*)

5) Velamentorum punctionem operandi rationem esse parum certam: hoc modo non semper dolores suscitari posse, partus processum cessare atque ad capitis perforationem esse confugiendum, (*Leighton*). Praeterea interdum difficile esse instrumentum in os uteri introducere, eaque re irritationem

parietum vaginae et uteri colli acriorem existere, qua ejus patefactio difficilior reddatur.

6) Partus provocationem mense 7<sup>mo</sup> omni in casu matrem infantemque interimere (*Dubois, Gardien*). Feminas jam affectione, quae, ut pelvis coarctaretur, effecit, debiliores esse, quam quae artificialem partum praematurum sustinere queant. Operationem turbationibus partus secundinarum atque metrorrhagiis ansam praebere, eandem puerperium molestum et perniciosos morbos secundarios producere, nec non scirrhi et carcinomatis uteri germen serere.

7) Operatione saepe numero abnormes infantum situs effici, qui quidem foetui multum periculi adducant (*Baudelocque*); deinde infantem, etsi vivus in lucem sit editus, difficulter vivum servari. —

Haec fere, breviter exposita, gravissima fuerint, quae adversarii artificiali partui praematurum crimini verterunt, in quibus, quamvis multa vera inesse non infirmemur, tamen pleraque nimis aucta judicamus. Deinde omnia patet nil aliud esse nisi ratiocinationes, in umbraculis excogitatas, quibus omne stabile fundamentum, usu et experientia nixum, desit. — Nobis omnes eas criminationes, quantum quidem theoretica consideratione fieri potest, eodem, quo proposuimus, ordine examinare et dijudicare liceat.

1) Difficultatem, quae in gradu angustiae pelvis constituendo offerretur, nimiam descripsit *Nisbet*. Artificialis partus praematurus, si quidem certam ac tutam viam ingredi velis, in pelvi angusta, nisi in multiparis, non suscipiendus. Quodsi talem feminam semel vel pluries perforatione vel ope forcipis liberaveris, certe, quanta pelvis sit coarctatio, tibi jam ipso gradu difficultatis partus satis persuaseris. Et si quis tam parum facultatis habeat, ut hoc modo rem aestimare nequeat, tali in casu tota manu immissa locales pelvis rationes cognoscat, ubi quidem aliquot linearum non magnum erit momentum. Qua de re omnes consentiunt, et optimo jure *Kilian* (l. c. p. 273) accuratissimam ad lineam pelvis mensuram tum demum nobis pro-

faturam dicit, si aequè diligenter localem corporis infantilis relationem aestimare possimus. Hoc autem in artis, quae nunc sunt, adjumentis fieri nequit, quam ob causam mensuram ab altera parte minus perfectam parvo vitio ab altera compensari ait. — Majoris momenti corpus est infantile, praesertim, quod nobis gravissimam, caput. Hoc quidem in nonnullis casibus mirum in modum variat atque nullam nobis in promptu esse rationem, dolemus, qua semper ejus magnitudo a priori constitui possit. — *D<sup>na</sup> Lachapelle* (Ej. Pratique des accouchements etc. Paris 1825. Vol. III. p. 435. — *Wilde*, das weibliche Gebäruvermögen. Berlin 1839. p. 198 seq.) secundum institutas a se mensuras in plurimis infantibus, 6<sup>to</sup> vel 8<sup>vo</sup> graviditatis mense editis, capitis diametrum crebro 6,8,10<sup>o</sup> differre vidit. *Siebold* (Ej. Journal. Bd. IV. St. 2. p. 267. — *Wilde*, l. c. p. 199.) casum quemdam artificialis partus praematurum observavit, in quo infans 7<sup>mi</sup> mensis 16<sup>o</sup> + 5<sup>o</sup> longus esset, 6½ ℔. pondus haberet et diametros transversa capitis 2<sup>o</sup> + 9<sup>o</sup>; recta 5<sup>o</sup> + 10¼<sup>o</sup>; diagonalis 4<sup>o</sup> + 5¼<sup>o</sup> et periphericus capitis ambitus 11¼<sup>o</sup> esset. In casu a cl<sup>mo</sup> *Carus* (*Siebold's Journ.* Bd. VI. St. 2. p. 267. — *Wilde* l. c. p. 199.) observato infans 7<sup>mo</sup> mense a muliere aegroti et debili artificiali p. p. editus 2½ ℔. pondus, at 17<sup>o</sup> longitudinem habebat; recta capitis diametros tantum 3<sup>o</sup>, transversa tantum 2<sup>o</sup> erat. In casu, quem *Salomon* (*Wilde*, l. c. p. 199.) affert infans 7<sup>mi</sup> mensis pondere erat 3½ ℔., longitudine 17<sup>o</sup>; diametros diagonalis capitis 4<sup>o</sup>; recta 3½<sup>o</sup>; obliqua 3½<sup>o</sup>; ambitus periphericus 11¾<sup>o</sup>. Verumtamen ex aliorum judicio haec non sunt nisi extrema pro portione rarissime occurrentia, et ratio media, in majore casuum numero inventa, secundum quam in universam mensuram constituere liceat, non deest. Diametros transversa infantis 7<sup>mi</sup> mensis plerumque est 2½<sup>o</sup>, in infante 8<sup>mi</sup> mensis 3<sup>o</sup>, quae mensura tribus lineis major vel minor esse potest (*Gronser*, in *Schmidt's Encyclopaedi.* p. 575.) Teste *Salomon*, (ibidem) transversa diametros hebdomadè 33 est 2<sup>o</sup> + 7<sup>o</sup>, hebdomadè 34 2<sup>o</sup> + 9<sup>o</sup>, tum 36 hebdomadè 2<sup>o</sup> + 11<sup>o</sup>

et hebdomadè 40, — 3<sup>o</sup> + 9<sup>o</sup>. Neque aliud quidquam *D<sup>na</sup> Lachapelle* nec non *Dubois* (ibidem) reppererunt. — Auctoribus *Hunter*, *Osiander*, *Siebold*, *Ritgen* et *Wilde* (Ej. d. weibl. Gebäruvermögen, p. 199—200.) periphericus capitis ambitus in 7<sup>mi</sup> mensis infante inter 10 et 11<sup>o</sup> variat; diametros transversa minor 2½ vel 2¾<sup>o</sup>, major 3<sup>o</sup>, recta vel longa 3½ aut 3¾<sup>o</sup>, diagonalis 4 vel 4¼<sup>o</sup>, humerorum latitudo plerumque 3½ vel 3¾<sup>o</sup>, distantia coxarum 2½ vel 2¾<sup>o</sup>. —

Difficultates in constituenda accuratius ratione, quae capiti infantili cum certa pelvis angustia atque variis graviditatis periodis intercederet, sublaturus, recentiore aetate *Figueira* ad Statisticae cujusdam obstetriciae constituendae necessitatem medicorum animos convertit. Quae quamvis ad hunc diem nulla sit, tamen jam *Figueira* (*Schmidt's Jahrb.* Bd. XIX. H. 1. p. 57.) ex praecipuis operibus in arte obstetricia versantibus tabulam composuit, quam nobis hoc loco proferre liceat.

*Tabula de rationibus magnitudinis capitis infantilis singularis graviditatis mensibus.*

Menses.	Diametr. transversa. Diam. bi-parietal.	Diametr. longitudinalis. Diam. occipito-frontal.	Diametr. perpendicularis. Diam. occipito-bregmaticae.
5.	2 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> .	2 <sup>o</sup> + 2 <sup>o</sup> .
5½.	2 <sup>o</sup> 1 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> 3 <sup>o</sup> .	2 <sup>o</sup> 3 <sup>o</sup> .
6.	2 <sup>o</sup> 2 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> 5 <sup>o</sup> .	2 <sup>o</sup> 5 <sup>o</sup> .
6½.	2 <sup>o</sup> 4 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> 7 <sup>o</sup> .	2 <sup>o</sup> 8 <sup>o</sup> .
7.	2 <sup>o</sup> 9 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> 8 <sup>o</sup> .	2 <sup>o</sup> 10 <sup>o</sup> .
7½.	3 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> 9 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> .
8.	3 <sup>o</sup> 1 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> 10 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> 1 <sup>o</sup> .
8½.	3 <sup>o</sup> 2 <sup>o</sup> .	4 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> 2 <sup>o</sup> .
9.	3 <sup>o</sup> 4 <sup>o</sup> .	4 <sup>o</sup> .	3 <sup>o</sup> 4 <sup>o</sup> .

Ejusmodi Statistica, judice *Figueira*, errores, qui forte inciderint, evitari possint, cui eidem observatio quaedam adnectitur, qua plerumque una eademque femina uno eodemque patre infantes ejusdem fere magnitudinis et evolutionis uno eodemque graviditatis tempore, dummodo vitae rationes, praesertim matri-

monii, eadem manserint, in lucem edere dicitur; quae observatio summi est momenti, utpote quae saltem in multiparis medicum de operatione instituenda certiore reddat. Deinde incrementum foetuum inaequale in variis feminis praecipue 7 vel 8 primis mensibus animadverterunt, dum ultimis duobus mensibus in omnibus matribus fere aequabiliter procedit et ab hebdomade 32 usque ad 40 omnes infantis diametros 12 fere lineis accrescere viderunt (*Kilian*, l. c. p. 271.). Quodsi in solvenda muliere magnitudinem diametrorum capitis infantilis diligenter cognoveris, in omnibus insecutis graviditatibus earum diametrorum magnitudinem, inde ab hebdomade 32 ad 40, satis accurate constituere licebit.

2) Quod ad difficultatem in conceptionis termino exquirendo pertinet, hanc etiam nimis auctam esse, manifestum videtur. Femina, cui prorum partuum, unius vel complurium, difficultas bene cognita sit, vel timore adducta, sui ipsius status rationem habebit, quo accedit, quod medici est, si quidem in futurum ab artificiali partu praematurato auxilium petiturus sit, mulieris animus in eam rem convertisse. Hic desiderium, vivum infantem amplexandi, feminae pro duce erit. In primiparis quidem, si propter morbos periculosos artificiali p. p. liberandae sunt, tempus conceptionis ignorari potest, attamen hac in re ad doctrinam de graviditatis chronologia ablegamus. Ceterum *Grenser*, (*Schmidt's Encyklop.* etc. p. 573.) ut, si talis rerum fuerit conditio, 34<sup>m</sup> graviditatis hebdomadem, quantum quidem verisimilitudine adsequi liceat, eligamus, auctor est, nam etiamsi forte medicus 14 diebus ocius vel serius operationis terminum statuerit, nihil inde detrimenti oriturum, quum infantes hebdomadis 32<sup>ae</sup> saepius in vivis conservati sint, alteraque ex parte infantes 36 hebdomadam ob ossium capitis compressibilitatem in media pelvis angustia in lucem protrahi possint.

3) Hic profecto certum temporis spatium esse obliti sunt adversarii, intra quod infans vi vitali sit praeditus. Itaque nequaquam matris vel infantis solius ratione habita opus est, ut,

quod ad tempus operationis attinet, ista extrema sequamur, sed potius, rerum conditionem contemplati, id tempus, quo utriusque conservatio commodissime effici posse videatur, eligemus. Doctrina vero de unius vel alterius embryonis evolutione vel accelerata, vel retardata, quam apparet ex alacriore imaginandi facultate profectam esse, ipsi naturae incredibilem licentiam adtribuit, quae tamen legibus sibi praescriptis satis constat, ut, si quae abnormitates occurrerint, eae inter rarissimas exceptiones sint, quas scimus vix ulla in regula totas deesse.

4) Hoc loco de genitalibus ad partum praeparandis agunt et partibus praematuris naturalibus minus periculi esse contendunt, quam artificialibus. — At frustra! namque plerique partus praematuri naturales, vel morbis intrant, vel, idque frequentius, noxiis rebus subitam vim exhibentibus. Quae tum sequelae sint, apparet, et quod *Baudelocque* sibi ex copiosissima praxi pro telo, quo artificialem p. p. impugnaret, delegit, id, etsi re vera inveniat, nequaquam tamen pro norma haberi potest. Quamvis genitalia non eum adsecuta sint evolutionis gradum, quem naturali partus tempore cernimus, tamen 1) operationi curam prophylacticam atque praeparativam praemittimus; 2) operationem tempore, quod a consueto non ita multum differat, peragimus et 3) num ad minorem foetum expellendum tam perfecta genitalium praeparatione opus sit, quaerendum videatur. — Experientia satis edocuit, omnem partus sollicitationem cum aequo animo et consideratione continuatam, semper partum in sequela habuisse, qui nunquam, quemadmodum *Dugès* et *D<sup>no</sup> Lachapelle* (*Marinus über die künstl. Frühgeb.* in *Schmidt's Jahrb.* etc. Bd. XIX. p. 57.) affirmant, quindecim dies duravit, omnibusque fere in casibus tribus vel sex diebus effectus est. Nemo ut ad acriora irritantia confugeret, coactum se vidit, perfectumque dolorum languorem, quantum novimus, semel tantum *Leighton* (*Reisinger*, l. c. p. 136.) observavit, cujus tamen narrationes perquam vero absimiles sunt. Pariter nunquam uteri rupturam deprehenderunt, si quidem a nonnullis casibus, a

*Clough* (Reisinger, l. c. p. 62.), *Ramsbotham* (Schmidt's Encykl. p. 574.) et *Kiewisch* ab *Rotterau* (Canstatt, Jahresbericht etc. Jahrg. I. H. 9. p. 107.) allatis discesseris, in quibus tamen omnem culpam ipsis operantibus attribuendam esse, certum videtur. Detrimta artificialis p. p. quae ex velamentorum punctione nasci credunt, satis refutantur eo, quod operatio non sola aquarum ruptione peragi potest, quod methodus ista recentiore aetate opera cl<sup>mi</sup> *Meissner* egregie perfecta est, ut omnia ista damna removeantur, quod denique illa incommoda re vera vix exstant, quum, uti verissime *Kilian* (l. c. p. 269.) admonet, inter aquarum ruptionem intempestivam in partu jam coepto et velamentorum punctionem, ante ortam pariendi actionem factam, plurimum intersit. Vir doctus enim ad experientiam provocat, qua multis in casibus, ubi aquae jam 4, 5, 6 diebus ante partus initium defluerant, vivum infantem tamen celeriter, optimeque editum esse cognoscimus. Idem et nos saepenumero animadvertimus.

5) Quod aquarum ruptionem nihil certae spei praebere, instrumentumque introducere difficile esse ajunt, id per se ipsum refellitur.

6) Partus mense 7<sup>mo</sup> semper matri et infanti letifer esse dicitur. Qua de re quum experientia nos monere debeat, lectores ad ultimam hujus dissertationis partem remittimus. — Quod vero censent feminas jam morbis, quibus pelvis coarctatio effecta sit, admodum debilitatas esse, id nisi in osteomalaciam atque fortasse in eos casus, ubi in pelvis cavitate varii tumores luxuriantur, referri non potest, quibus tamen in casibus medicus circumspexit operationem non instituet. — Turbationes secundinarum partus, haemorrhagiae, puerperii molestiae, scirrhus et carcinoma uteri etc., uti experientia docet, in sequelis sunt partus arte violentis, non partus arte praematuri.

7) Majoris momenti est, quod operatione saepius abnormes infantis situs effici, dixerunt. Namque re vera in partibus praematuris situs abnormes occurrunt, qui omnibus iis in

casibus, ubi ob pelvis angustiam operatio instituitur, res sunt valde adversa, praeterquam quod omnino infans immaturus aliquanto tenerior auxilium manu vel instrumentis allatum difficiliter perfert. — In partibus praematuris artificialibus 74 numero a *Reisinger* (l. c.) prolatis 12<sup>ies</sup> infantes situ abnormi se obtulerunt, ex quo numero si 20 castus a *Denman* observatos deduxeris, in quibus qualis infantis fuerit situs tacetur, proportio existit 12:54 vel 2:9. — In casibus 90 a *Schippam* (l. c.) appellatis, infantes 15<sup>ies</sup> situ infausto in lucem provenerunt, unde inter 144 partus praematueros 27 situs abnormes inventi sunt. Erant hi: 8 partus clunibus, 8 pedibus, 1 genibus praeviis, bis prolapsus brachii unius, semel utriusque brachii, bis situs transversus et 5<sup>ies</sup> situs abnormes, qui tamen accuratius descripti non sunt. Infantes 18 mortui editi sunt, 9 vivi, ex quibus 2 perierunt, unius fortuna non nota est, 6 in vivis servati sunt. — Artificialis p. p. defensores, quod abnormes situs tam frequenter inveniantur, adverso ruptionis aquarum influxui et uteri configurationi ea in re irregulari adscribunt. Facit sic *Kilian* (l. c. p. 268.), qui situs abnormes in Germania rarissime observari commemorat. Quae observatio satis vera esse videtur, namque in casibus 27 supra appellatis operatio fere semper velamentorum punctione facta est. Ob eam causam in Germania situs adversi reapse pro portione raro inveniantur, qua in terra methodi a *Meissner*, *Kluge*, *Schoeller* aliisque commendatae simplici velamentorum punctioni praelatae sunt. — Altera ex parte tamen, si quis situs abnormes tantummodo ex aquarum ruptionis vi repetere voluerit, falli videatur. Nam primum irregularem pelvis naturam in abnormi situ efficiendo summam vim habere satis constat, tum memoratu dignum, in naturalibus etiam partibus praematuris, et ubi pelvis omnino normalis sit, situs abnormes frequentissime tamen reperiri. *Samuel Merriman* (Reisinger, l. c. p. 162 seq.) inter 78 naturales partus praematueros 17 situs abnormes vidit, quin *D'Outrepoint* (Ej. von der Selbstwendung u. Wendung auf d. Kopf. Würsb. 1847. p. 48. —

Reisinger, l. c. p. 163.) se in omnibus intempestivis partibus, 5<sup>to</sup>, 6<sup>to</sup> et 7<sup>mo</sup> mense foetum situ transverso invenisse affirmat. Hoc tamen parum verisimile. — Vix autem intelligi potest, quo modo observationes in eo differant, nam, quae modo memoravimus animadversa esse a *Merriman*, iis, quae *James Hamilton* (Ej. practische Bemerkungen über versch. geburtsh. Gegenst. Berlin 1838. p. 159.) se vidisse refert, omnino repugnant, qui quidem inter 57 casus partus praematuri artificialis 8<sup>ies</sup> tantum infaustos situs se deprehendisse, affert. At, quidquid fuerit, istud, quod contra dixerunt, tale non est, quo operatio vetetur, nam si abnormes situs ex ratione operandi prodirent, alia ratione electa eos vitare possemus, sin ex aliis causis, tum quidem non opus est, ut, ne forte calamitas eveniat, timentes in multis casibus, ubi opem ferre liceat, desides auxilium negemus.

## SECTIO SECUNDA.

### *De indicationibus et tempore operationis eligendo.*

#### 1. De indicationibus ex mechanicis partus impedimentis.

Obstetricantium medicorum sententiae in statuendo gradu pelvis angustiae, quo artificialis partus praematuri provocatio indicaretur, ab omni inde tempore diversissimae fuerunt. *Denman* (*Reisinger*, l. c. p. 268) fieri non posse, censet, ut mensuras, quibus in pelvis angustia artificialis haec agendi ratio indicetur, definiamus. Quum igitur tanto minus infantilis capitis dimensiones a priori constitui possint, operationem vir doctus soli obstetricantis arbitrio relinquendam judicat, qui quidem, si exercitator fuerit, nullos in se admissurus sit errores. Haec sententia prima prolata est, a qua vides nihil splendidi eventus expectari posse.

Altera factio (*Froriep*, *Carus* a. q.) eousque progreditur, ut artificialem partum praematurum in unaquaque pelvi adhiberi

suadeat, per quam, experientia confirmet, vivum infantem in lucem prodire non posse. Haec sententia non melior, quam prior, nam sicuti illa ab obstetricante, quod perficere nequit, postulat, ita haec rursus summam et infinitam licentiam admittit: secundum eam enim inde ab 3 $\frac{1}{2}$ " Conjugatae usque ad 4" in omnibus pelvis angustiae gradibus artificialem viam iniri posse arbitrantur.

Tertia doctorum pars, jam in mensuris statuendis operam ponens, ex his solis in pelvis angustia operationis indicationem deducendam esse, existimat. Prior aetas hac in re nimis omnia exaggeravit. Sic *John Barlow* (*Reisinger*, l. c. p. 268) in Conjug. 2" vel 4 $\frac{1}{2}$ " artificialem partus praematuri provocationem assumit; *James Barlow* (ibid. p. 269) contra in diametro recta 2 vel 2 $\frac{1}{4}$ ". Multo prudentius alii hujusce partis assecrae egerunt, uti *Ritgen*, *Busch* et ceteri, qui operationem in Conjug. 3 $\frac{1}{2}$ " vel ad summum 2 $\frac{3}{4}$ " indicari putant.

Est tamen alia praeter has factio. Ea, mensuris constitutis non contenta, accuratam capitis infantilis cognitionem postulat, quam cum a priori adsequi nequeamus, artificiali ratione in primiparis omnino sprete et contempta, tantummodo partu praegresso de operationis indicatione nos edoceri posse contendit. Ea sententia hac re nititur, quod diversae feminae, in pari gradu angustiae pelvis, tamen admodum inaequaliter pariunt, quam ob causam illi viri docti in operationis indicatione talibus casibus constituenda non solum gradus angustiae pelvis, sed etiam, idque praecipue, influxus, quem ille in partu exhibeat, rationem habendam esse credunt. — Quibus principiis nixa, haec factio indicationem ad partum praematurum artificialiter provocandum his fere verbis comprehendit: artificialem agendi rationem in omni pelvis coarctatione postulari, ubi partus praegressi unus vel complures infantem omnino maturum nullo modo vivum atque integrum in lucem edi posse, satis demonstrent et ubi gradus angustiae conjugatam 3 $\frac{1}{2}$ " non excedat, neque multo minus, quam 3" sit. — *Kilian*, (l. c. p. 281.) qui huic sententiae addictus est, conditionem necessariam eam ponit, ut rationes vitae matris,

praesertim vero matrimonii, eadem atque prioribus in graviditatibus manserint. — Hoc iudicium igitur, apparet, iis quidem, quae a *Nisbet* et *Joerg* de difficultate in magnitudine capitis infantilis a priori exquirenda dicta fuerant, adsentire, ex altera parte tamen, quam ad errores, qui incidere possint, evitandos viam eo tutiorem monstret, absolutam hujus opprobrii gravitatem tollere et elevare.

Si igitur nostram quoque de hac re sententiam quaesiveris, nos quidem, quamvis propria experientia destituti, non tamen huic posteriori iudicio adstipulari dubitamus. Quamquam enim hoc modo operationis campum multo minorem fieri non infitiamur, tamen ejusdem triumphum tanto altius efferi credimus. Penitus nobis persuasum est, artificialem partus praematuri provocationem neque difficiles forcipis ope operationes, neque perforationem ex artis medicae usu pulsuram esse, omnium minime autem sectionem caesaream, quacum ne potest quidem concurrere, quum, ubi haec initium habet, illa terminetur. Si vero operatio tantum ea est, quae has crudelissimas agendi rationes valde coërceat, necessarium non est, ut audacius ejus usus extendatur, nam, si modo in artibus, quibus continetur, limitibus huic fini prorsus satisfecerit, hoc modo jam multum utilitatis allatum esse censemus. Verum tamen non possumus, quin moneamus, injuste acturum, si quis in scepticismo, hac in operatione tantopere commendando, modum egressus fuerit. Possunt enim casus inveniri, ubi mulieres priore tempore ab alio medico obstetricante difficili operatione ope forcipis liberatae sint, nosque de localibus capitis infantilis et pelvis rationibus, nonnisi iis, quae ab isto accepimus, edocti, tamen ejus relationi satis confidere nequeamus. Vel his de rebus nihil cognitum habere possumus, quoniam aut mentiones neglectae fuerunt, aut ob capitis perforationem, institui non poterant, vel rursus femina, in qua solvenda ipsi omnia accuratius perpenderimus, alio matrimonio inito, vitae condiciones mutavit, vel denique cum femina res est, extra legitimas nuptias gravidata, quae, ab alio aliam viro im-

pleta, vitae rationes saepissime permutet. Quodsi talibus in casibus stricte sententiam supra propositam teneremus, profecto, ne forte, id quod raro fit, erraremetur metuentes, saepius opem, quae ferri potest, omitteremus. Hi fere casus sunt, in quibus mentiones, quantum fieri potest, accurate manu vel instrumentis factae, nec non ea, quae de media capitis infantilis ratione supra allata sunt, in auxilium vocanda esse videantur. —

Ad necessarias operationis in pelvis angustia condiciones sequentes res referendae sunt: 1) Operationem in iis modo pelvis deformitatibus suscipiendam, quae uti pelvis rhabdica vel justo minor etc. mutari nequeant, nunquam vero in pelvi osteomalacica, vel ubi varii generis tumores luxuriantur. 2) Statum gravidae, tempore, quo operatio suscipiatur, quam minime turbatum esse debere. Vitam foetus, antequam operatio fiat, certissime cognitam esse, nequaquam necesse videtur.

## 2. De indicationibus ex dynamicis graviditatis turbationibus.

Ex quo tempore operatio inventa est, usum ejus longius propagare, eumque in varias affectiones extendere studuerunt. *Denman* (*Reisinger*, l. c. p. 246.), tali exemplo primum edito, prosperrimo eventu artificialem praematuri partus provocationem etiam in tali rerum conditione, ab considerato et circumsperto medico adhibitam, auxilium singulare et eximium ferre monstravit. Hic nullas generales constitui posse regulas, per se patet, nam, si usquam, hic maxime practicam medici solertiam cognoscimus. Id tantum in universum dicere possumus, operationem in omnibus his casibus, ubi vera mali causa reperiri, malumque ipsum commoda curatione tolli possit, non prius incipiendam esse, quam omnia, rei naturae ratione habita necessaria, sine ullo successu tentata fuerint. — Commendatur operatio:

1) In foetus paulo ante partum morte, saepius in eadem femina repetita. — Hanc indicationem *Denman*

(Reisinger, l. c. p. 246.) in artis usum induxit, qui, pariter atque *D'Outrepoint* et *Kilian* (l. c. p. 282 seq.), in multis ejusmodi casibus cum splendidissimo eventu operationem instituit; *Kilian* in uno casu, ubi id vitium toti familiae peculiare erat.

2) Ad foetum mortuum ex utero removendum. — Huic indicationi *F. A. Mai* locum in arte vindicavit, quae sententia satis probata videtur, quoniam organica putrescentia, ubicunque in organismo obvia est, febrim torpidam caractere putrido adducit. Verum plerisque in casibus ipsa natura praevenit, quae uteri contractionibus suscitatis infantem mortuum expellit.

3) In partibus serotinis, auctore *Mai* et *Osiander*. Mirum tamen hoc, alterum virum doctum, tali in casu artificialis partus praematuri usum postulare, quod foetus, magis magisque sese evolvens, postea in partu sibi ipsi et matri ob nimiam magnitudinem incommodo esse possit, alterum rursus, quod, partu retardato, infans emacietur, hydropicus fiat et emoriatur. Ceterum hanc indicationem sunt qui negent. Hi enim suam sententiam eo confirmant, quod, sicuti partus quaque hora intrare possit, ita longior foetus in utero remora neque ipsi neque matri damnum afferat.

4) In multis periculosus morbis, si, graviditate progeneri vel adaucti, vitam matris infantisque in discrimen deducunt. Trahenda huc: c) Metrorrhagia gravidarum (*Reisinger*, *Carus*, *Busch*). b) Vehementior ultimo graviditatis tempore vomitus (*Merriman*, *Haighton*, *Davis*, *D'Outrepoint*, *Lobstein*). c) Prolapsus uteri gravidi (*Lyne*, *W. Hunter*). d) Summus asthmatis gradus (*D'Outrepoint*, *Carus*, *Busch*). e) Convulsiones, in specie Eclampsia gravidarum (*D'Outrepoint*, *Carus*, *Busch*, *Ferniot*, *Lovati*). f) Hydrops (*Duclos*, *El. ab Siebold*, *Carus*, *Hoeniger* et *Jacoby*). g) Vitia cordis varia (*Costa*, *R. Lee*). h) Sanatae uteri rupturae (*R. Collins*). i) Phthisis pulmonum (*D'Outrepoint*, *Pelletan*, *Metzger*, *P. Frank*). k) Apoplexia cerebri (*Trivellini*,

*Pellegrini*). l) Cholera (*Basedow*) etc. — Praeterea operatio in tumoribus fibrosis, cysticis ovariorum, in hydrope ovariorum (*Robert Lee*) etc. cum successu adhibita.

Ad quaestionem, quo tempore partus efficiendus sit, respondere, summi momenti est, namque hinc pariter atque ex indicatione vere statuta totus operationis successus dependet. Attamen hic etiam variorum auctorum judicia mirum in modum inter se differre, cognoscimus. *Denman* (*Reisinger* l. c.) 7<sup>mo</sup> mense solari operandum censet, adjiciens idem, pro varia, quae capiti cum pelvi intercedat, ratione posteras quoque graviditatis periodos ad operationem eligi posse. Multo magis vero pugnancia in iis, quae *John Barlow* proposuit, inveniuntur, qui vir adeo ineunte 7<sup>mo</sup> mense, operationem institui jubet, documentis, quibus nitatur, ex suo ipsius usu depromptis. (Quo in consilio, id quod mirandum est, recentiore aetate ei *Busch*, nec non *Carus* consentiunt.) *Haighton* exeuntem hebdomadem 30<sup>m</sup> pro tempore faustissimo habet: quo eodem fere modo *Merriman* judicat, quo suadente, 8<sup>vi</sup> mensis initium deligendum. *James Barlow* 8 plenis mensibus, vel hebdomadibus 52 exactis operationem suscipi voluit. — Ex Germanis *Mai* mensis 8<sup>vi</sup> principium maluit, *Froriep* operationem non prius, quam 7 plenis mensibus transactis, neque vero serius, quam sub 8<sup>vi</sup> mensis finem, faciendam esse ratus est (*Reisinger*, l. c. p. 262 seq.). *El. ab Siebold* (*Ej. Lehrbuch* etc. 1841. p. 448) operationem ante hebdomadem 28<sup>m</sup> et post 36 institui vetat. *Cohen* (*Neue Zeitschrift für Geb. R.* etc. Bd. 21. H. 1. p. 116 seq.), *Hamburgi*, multa experientia doctus, extremam hebdomadem 34 tempus commodissimum esse existimavit: denique omnes inter se discrepantes opiniones de hac re si quis componere voluerit, nil aliud nobis persuadeat, nisi, de tempore operationis summo opere dissentiri. Neque vero aliter se res habere potest, nam terminum ad hebdomadem distinctum non esse, exploratum est, quamquam certum temporis spatium, intra quod, diversae

rei conditionis habita ratione, operari liceat, nequaquam deest. Quod spatium a 7<sup>mo</sup> mense incipere et 9<sup>no</sup> terminari, nimium est assumere. Nulla fere spes exstat, 6<sup>ti</sup> mensis foetui vitam servari, 7<sup>mo</sup> mense exeunte vix laetiora expectare possumus. Neque tamen illa dicta prorsus inania ac vana esse, nullis exemplis nixa, contendi potest: neque enim certis observationibus caremus, quibus infantes ex primis periodis vivos conservatos esse viderent. Referenda huc, quae *Maygryer*, *Belloc* et *Rodman* animadverterunt, quibus testibus, infantes 4<sup>to</sup> vel 5<sup>to</sup> mense editi in vita manserunt. Non praetereundi *Bronzet* (5<sup>to</sup> mense), *Kopp* (hebd. 24), *Bucholz* (hebd. 27), (*Kilian*, l. c. p. 285) et casus notissimus a *Fortunio Licetti* (*Schmidt's Jahrb.* etc. Bd. XIX. p. 57 seq.) allatus, quo quidem infans, extremo mense 6<sup>to</sup> partus, ad 80 annorum aetatem proventus esse dicitur. Qua in re, has rarissimas esse exceptiones, quas in artis usu nequaquam pro regula ponere liceat, silendum non est. — Quae cum ita sint, omnes, quorum aliqua est auctoritas, medici obstetricantes in eo consentiunt, ut tempus operationi idoneum, ab hebdomade 30—31 initio capto, 36—37 terminari, ideoque fere 6 hebdomadam cyclum complecti dicant. Qua in re medici erit ea sequi, quae in partu praegresso expertus sit, nec non gradum angustiae pelvis et capitis magnitudinem, quantum quidem conjectura adsequi liceat, considerare. Hic ob multas, quae sese objicere possint, difficultates non parva medici facultate et solertia opus esse, non est, quod admoneamus. Si enim maturius operationem facturi sumus, minorem spem de conservando infante concipiemus, sin longius expectare voluerimus, pressio in capite infantili exhibita maximum damnum inferat. Cui malo occursumus *Ritgen* (*Ej. Anzeigen der mechan. Hülfe* etc. p. 349—350.) tabulam, quam in facienda operatione sequeremur, proposuit. Si Conjug. 2'' + 6''' esset, operationem hebdomade 28, si 2'' + 7''' hebd. 29, si 2'' + 8''' hebdomade 30, si 2'' + 9''' hebd. 31, si 2'' + 10''' hebd. 35, si 2'' + 11''' hebd. 36, si denique 5'' hebdomade 37 suscipi jussit. Cui opinioni etiamsi, teste *Kilian*,

nuperrime *Stoltz* assensit, nemo tamen, qui eos imitaretur, existisse videtur. Est potius, ut recte *Kilian* ait, inepta, quippe quae, ut pelvis, cujus Conjugata sit 2'' + 6''', ab ea, cujus Conjug. 2'' + 7''', discernatur, postulet, ac praeterea in talibus pelvis coarctationibus operationem permittat, ubi vix erit, qui eam suscipiat.

Quod ad morbos, quibus operatio indicetur, attinet, temporis spatium supra designatum his non mutatur, nisi quod ibi ea ponenda est norma, ut, quamdiu sine matris et infantis detrimento fiat, operatio quam serissime instituatur. Infantis enim vis vitalis cum corpore crescit, neque ulla pelvis ratio habenda erit. At in omni casu, ubi remora vetatur, periculi momentum operationis consilium provocabit.

## SECTIO TERTIA.

### *De cura praeparatoria et operationis methodis.*

Indicationibus operandi constitutis, terminoque definito, practica actionis pars initium habet. Quae duas res complectitur: curam praeparativam, ipsamque operationem. Cura praeparativa rursus in universi organismi et partium in pariendo praecipue agentium tractationem praeparatoriam dividitur. Cura universalis in eo consistit, ut aliquot jam diebus, operationem praegressis, blandiore diaeta praescripta, cauto laxantium antiphlogisticorum usu tractus intestinalis liberetur, totusque organismus atque cum eo genitalia apta ratione debilitentur. Praecipue id in feminis plethoricis postulabitur, in quibus adeo, ut venaesectio praemittatur, suadendam est. Quam curam omnino pro feminarum individualitate modificationibus obnoxiam esse, liquet, quae quales futurae sint, certis regulis praecipere nequit. Genitalium praeparatio in balneis tepidis adhibendis consistit, quae, quanto majorem partium rigorem suspicari potes, tanto videntur instantius commendanda esse. — Quo modo tractatio

ordinanda sit, variat, qua in re individui natura, vitaeque conditiones respiciendae erunt. — *Kilian* (l. c. p. 286 seq.), 7 vel 8 ante operationem diebus balnearum tepidarum usum incipi jubet, feminam secundum typum tertianum illas sumere et eum in modum rem institui, ut ultimum balneum ipsius operationis die adhibeatur. Quoque intermedio die feminae salinum laxans porrigitur, quod quidem, cum *Kilian* operationem vesperi, antequam dormitum eat mulier, perficiat, ipso, quo operaturus est, die post meridiem propinari suadet. — Alii tamen aliis rationibus utuntur: abdominis inunctiones oleo calefacto instituunt, calidum oleum vel infusum florum Chamomillae in vaginam inspergunt, fomentaque ad ipsa externa genitalia applicant. Quae methodus, praesertim in pauperibus, quae non raro vase ad balneum indigeant, interdum optima judicanda est. — Fuerunt etiam, qui uteri os digito identidem irritari vellent, quae ratio tamen, ut quae damnum afferre possit, potius omittenda.

Ad exsequendam ipsam operationem varias protulerunt methodos: quin adeo earum multitudine artem etiam nunc in dies locupletari videmus. Cujus rei causa in eo inesse videtur, quod methodorum, ad hunc diem exstantium, nulla, omnibus postulatis satisfaciens, ubique se efficacem praestare potest. Etiam si igitur studium, ut eo perveniatur, gratum et acceptum sit, tamen unquam hac in re ad perfectionem progredi licere, falso assumitur, namque de methodo normali hic etiam non magis, quam omnino in arte medica, cogitari potest. — Medicus potius, quae cuique propria sint, distinguere sciat, qua quidem in re summa ejus nititur dexteritas. Quodsi una vel altera methodus, quae multis in casibus idoneam se praebuit, in aliis rursus spem conceptam frustravit, ideo nequaquam condemnanda aut rejicienda est, quoniam hoc posteriori casu fortasse alia laetissimum allatura est auxilium. Casus autem, quibus haec vel altera methodus indicata sit, constituere haudquaquam licet: id quidem practicae medici facultati, naturae doti, relictum sit, quae excoli quidem,

neque tamen disci ex libris potest. At quidquid est, a methodo, quam aptam nominemus, haec postulari possunt: 1) Ut simplex sit, facilis adhibitu; methodus enim operationis, partui praematurate arte provocando inserviens, neque in Phantomate, nec in cadavere praeparandi causa exerceri potest. 2) Ne laedat ullo modo, vel feminae aut infanti aut utrique quidquam detrimenti importet. 3) Ut velamentis parcat, quae quidem res omni in partu summi credenda est momenti. Quas adhuc habemus methodos, hae sunt:

### 1. Methodus per velamentorum punctiorem.

Quae a *Dano* quodam *Paulo Scheel* in artis usum introducta, qui methodum ad artificialem abortus provocationem 1799 in opere suo: „De liquoris amnii asperae arteriae foetuum humanorum natura et usu etc. Hafniae“ proposuit. Neque tamen ea ab ipso inventa est, utpote quam *Puzos*, aliique jam novissent. Quae methodus ut ad effectum adduceretur, varia a viris doctis inventa sunt instrumenta, quorum tamen pleraque, quippe quae parum viderentur commoda, oblivioni sunt tradita. Itaque nostra aetate non possumus, nisi duo instrumenta pro idoneis habere, alterum *Wenzelianum*, alterum a *Kluge* et *Ritgen* commendatum. Prius eorum ex tubulo argenteo leniter incurvato consistit, per quem acus longa acuminata percurrit. Cujus instrumenti jam multae emendationes ab *El. ab Siebold*, *D'Outrepoint*, *Salomon* et *Kilian* tentatae sunt. Alterum in apparatu sugendi constat in modum siphonis, in quo utendo velamenta protracta aculeo obvia fiunt. Ceteroquin ratio, adjuvante instrumento *Wenzeliano*, ad hunc usque diem acceptior videtur. In eo adhibendo sequentem in modum agunt: femina in situ supinato posita, cui prae situ laterali Anglorum sine dubio palma deferenda est, ad artis praecepta digitum indicem et medium in vaginam inducimus, portionem vaginalem figimus atque instrumentum bene calefactum adipeque illitum, acu ex tubulo remota, per canalem colli uteri caute satis longe proferimus, quo facto acu intro-

ducta velamenta perforamus. Aliquot aquarum guttulae per tubulum profuentes operationis felicem successum ostendunt, quo cognito, postquam instrumentum submosimus, gravidam quietam in lectulo jacere jubemus. Ea in re, ne partem infantilem praeviam haedamus, valde cavendum est, quod ut vitetur, satis apte, antequam acus inducatur, uterus methodice externe perfricatur, qua re utero ad contractiones adducto, velamenta paululum intenduntur. Operatione confecta, subinde injectiones mucosae oleosae instituuntur, atque altera quaque vel tertia hora manu calida oleo inuncta uterus externe secundum artis leges fricatur. Angli quidem, operatione absoluta, sacram anchoram vitae (Opium) porrigere amant, quam tamen ceteri, idque optimo jure, rejiciunt. *Kilian* (l. c. p. 291.) *Boracem* pro auxilio adjuvante praecelaro habet, quod tali in casu dosi 10 granorum altera quaque vel tertia hora propinandum censet, quodque adeo ob vim suam tardio rem quidem, at tanto mitiorem et certio rem secuti cornuto praefere ndum judicat.

Haec methodus, si efficacitatem spectamus, admodum est certa, quoniam omnibus in casibus partum produxit et, excepto casu a *Leighton* prolato, nunquam alias omni successu caruit. Dolores post horas 2, 4, 6, 12, 48 inagruunt, rarius, idque non nisi omisso adjumento remediorum externorum atque internorum, 4<sup>to</sup> demum vel 5<sup>to</sup> die. Adhibitu ea methodus non ita difficilis, si quidem a casibus raris, ubi uteri os totum conclusum sit, discesserit. E contrario meliore vel minore jure haec isti objecta sunt methodo: 1) Celerem aquarum defluxum sitibus infansis ansam praebere et 2) infantem, aquis tam subito privatum, eo vehementiori uteri parietum pressui exponi, qui, praesertim si partus, id quod frequentius accidit, paulo diutius duraverit, eo majus ei afferat damnum necesse est. Quibus incommodis ut quam maxime occurrerent, jam longiore abhinc tempore eo methodum perfectionem reddere studuerunt, ut celerem aquarum defluxum prohiberent. Ad quod efficiendum *Josephus Hopkins* (Ej. Accoucheurs Wademecum. Edit. IV.

London 1816. — *Kilian* l. c. p. 290.) primus auxilium invenisse videtur. Is enim instrumento ad aquas rumpendas longo, postquam ad velamenta pervenit, inter haec et interiorem uteri parietem 8 pollices sursum progressus, tum velamenta hoc loco ab uteri ore remoto perforavit. Hanc viam ab *Hopkins* monstratam nuper celeb. *Meissner* anno 1835 ingressus est. *Meissner*, qui et ipse peculiare ad eam rem instrumentum proposuit, hanc fere sequitur rationem, ut, postquam gravis duobus ante operationem diebus laxans aliquid mitius recepit, tum, ut operatio fiat, situ erecto constituatur, medicus obstetricans genu dextero procumbat, manus dexterac digitum indicem calefactum et oleo illitum in vaginam inductum in regione oris uteri ad posterius ejus labium applicet, indeque per superficiem volarem digiti introducti instrumentum, manu sinistra inducat. (Consistit ex tubulo argenteo 1<sup>o</sup> P. crasso, 12<sup>o</sup> longo et secundum segmentum orbis, cujus diameter sit 15<sup>o</sup>, incurvato. In extremo inferiore partis convexae hujus tubuli annulus est, qui altera ex parte instrumentum commodius teneri permittit, ex altera ejus directionem indicat.) In hunc tubulum Filum ferreum inducitur, quod ex supremo tubuli sine tantum duas lineas prominat, eumque, quum apicem obtusum habeat, in specillum obtusum mutat. Hoc instrumento, cujus pars convexa ad ossis sacri excavationem versa est, per interius uteri os, promotum, inde tota ejus longitudine inter posteriorem velamentorum uterique parietem medicus progreditur, usque dum annulus in fine tubuli inferiore, qui ad anificium conversus esse debet, inter externa labia versetur. Tum filo obtuso protracto, pollice et digito indice manus dexterac annulus comprehensus fortius ad perinaeum detrahitur, eoque modo summo tubuli sine, velamenta elastica an partem infantilem offensas tentatur. Quodsi velamenta solummodo obvia esse tibi persuaseris, in tubulum filum ferreum triangulato apice terminatum inducitur, cujus apice 1<sup>o</sup> ex tubulo promotum velamenta perforantur. Jam filo ferreo eodem situ retento, tubulus ipse sursum promovetur, eoque in aperturam filo effectam penetratur.

Filo remoto per tubulum aquae defluunt, quarum non plus quam cochlearium emanare sinunt: tubulo caute remoto squarum defluxus plerumque extemplo sistitur. *Meissner*, operatione perfecta, gravidam ad ipsius arbitrium sedere, meare vel stare patitur, neque ulla in usum vocat remedia interna. In 8 casibus, a *Meissner* deinceps observatis, jam proxima nocte aquae paulatim defluere coeperunt, qua re genitalia eum in modum ad pariendum praeparata sunt, ut jam die sequenti mane omnino relaxata cernerentur. Dolores inter horam 24 et 48 intrantes admodum erant efficaces, uno casu excepto, in quo partus initium usque ad horam 58 dilatatum est. Uteri oris dilatatio semper celeriter effecta: quodam in casu velamenta adeo vesicae instar provenerunt. Omnes infantes vivi in lucem editi, vivique servati, neque magis quidquam in ea re damni passae sunt matres. Septem ex casibus, ubi operatio ob pelvis angustiam instituta est, admonere liceat conjugatam ter 2 $\frac{1}{2}$ " vel 2 $\frac{3}{4}$ ", quater 2 $\frac{3}{4}$ " vel 3" effecisse, et in majore eorum casuum numero aliquam praeterea ab arte expositulata esse opem (*Heidelb. med. Annal.* Bd. VI. H. 4. et *Schmidt, Encyklop. T. 2. p. 578 seq.*). *Meissner*, post id tempus 6<sup>ies</sup> operatione facta, successum, uti ferunt, (*Schoeller, die künstl. Frühgeb. bewirkt durch den Tampon etc. Berlin 1842. p. 12.*) vidit laetissimum. — Ceterum haec quoque methodus nonnullis ex partibus non omnino probanda videtur. Multis enim in casibus difficillimum fuerit, eo, quo *Meissner* jubet, modo instrumentum inter posticum uteri parietem et velamenta introducere, quis in pelvi coarctata promontorium frequentissime admodum prominat. Altera jam in eo consistat difficultas, quod placentae sedes accuratius constitui nequit, ideoque, ne hanc pro velamentis laedamus, interdum periculum instat. Tale quid accidit jam *Kiewisch* ab *Rotterau* (*Vierteljahrschrift für die pract. Heilkunde. Jahrg. IV. 1847. Bd. I. p. 42 seq.*)

### II. Methodus per partialem velamentorum ab utero solutionem.

Quam methodum Anglus *J. Hamilton* (l. c.) commendavit, quamquam, teste *Reisinger* (l. c. p. 95), *Merriman* eandem jam prius exsecutus fuit. Ea talis est, ut, gravis balneis praeparata, in uteri os apertum digito inducto velamenta ab collo et orificio uteri, quam altissime fieri potest, auctore *Hamilton* 2" vel 3" in orbem, solvantur. Haec methodus in Anglia a *Davis*, *Gooch* et *Conquest* defensitata, in Germania a *Mendo*, *Kluge* et *Riecke* (*Schippan, l. c. p. 54 seq., 96, 68.*) tentata fuit. His posterioribus non exhibuit, nisi parum eventus: dolores non apparebant, quam ob rem, ut velamenta pungerent, coactos se viderunt. In casu quodam, quem *Riecke* memorat, partus, 27 post operationem ter repetitam praeterlapsis diebus, successit. Methodus ea hisce implicita est impedimentis, quod os uteri nunquam minus est pervium, quam per quod digitus introduci queat, praetereaque id ipsum alto uteri situ, pelvis angustiae proprio, prohibetur. Attamen id incommodum jam catheteris inductione, qua solutio efficitur, tollere studuerunt. Sic *Mampe* (*Casper, Wochenschrift für die gesammte Heilk. 1838. p. 657.*) eam rationem jam antea a *Riecke* (*Neue Zeitschrift. Bd. 18. p. 333.*) propositam secutus, cum exoptatissimo eventu operationem instituit, et *J. Hamilton* (l. c. p. 157 seq.), cujus ex sententia haec methodus simplici velamentorum punctioni haud dubie anteposenda est, in casibus 57 optimum se observasse successum, tradit.

### III. Methodus per artificialem oris uteri dilatationem paulatim factam.

Quae idea antiquissima est, namque jam *Hippocrates* in suo sacramento ira plenus istud „pessum subdilitium“ castigat. *Guillemeau*, *Mauriceau*, *Dionis*, praesertim autem *Puzos*, *Le Roy* et *Baudelocque*, ut artificialiter partum morantem accelerarent, hac usi sunt ratione. Aetate recentissima ea methodus,

formam adepta novam, commodioremque, ad partum praematurum artificialiter provocandum a *Brueninghausen* (Neue Zeitschrift etc. Bd. III. H. 3. p. 326—327.) commendata, indeque a *Kluge* in artis usum introducta fuit. Consistit ea in hac re, ut ex spongia cerata pressa aliquot frusta ejusdem longitudinis et crassitie, atque vulgo est digitus index, parentur, fines superiores acuminentur, inferiores iique crassiores filo armentur frustumque tali modo paratum ad artis regulas in uteri os ejusque cavitatem immittatur. Quod si, satis longe inductum, stricte applicitum sit, tota vagina circum spongiam ceratam pressam vel exiguis frustis spongiae communis vel linteis carptis arctissime impletur. Super genitalia externa compressa imposita fascia, T literae formam referente, alligatur, gravidaque pacatum in lectulo situm servare jubetur. Quo facto, si 6, 10 horis exactis nulli apparuerint dolores, quod tamen perraro evenire dixerunt, tum, omnibus remotis, eadem ex integro ratio iteratur, crassiore spongiae ceratae pressae frusto in uteri os immittendo. Tali modo operatio repetitur, usque dum partus, qui non semper pari celeritate consequitur, perfectissime appareat. Pro vulgari spongia cerata spongia maritima, solutione saturata gammi arabici imbuta, et circumligandis filis in aptam formam redacta, a nonnullis, uti *Mende* (Neue Zeitschrift etc. Bd. 18. p. 346.), commendata fuit, quae quo facilius introduceretur, varia etiam proposita sunt instrumenta. — Ea operatione efficitur, ut spongia paulatim turgescens in uteri ore spatium non habeat, id paulatim dilatet, simul autem, stimulo exhibito, uterum ad contractiones adducat. Is effectus, vagina arctissime impleta, non parum juvatur, ad quem finem, simul atque dolores apparuerint, externae quoque uteri perfrictiones institui, nec non parvae doses Boracis vel Secalis cornuti porrigi possunt. Cui methodo complura insunt commoda conjuncta: neque enim, ulla genitalium laesio traumatica ne intret, metuendum est, partes, stimulo gradatim adaucto, egregie ad partum praeparantur, atque, id quod gravissimum est, parititur velamentis. — Verumtamen, quod

ei vitio tribui possit, in eo potissimum consistat, quod omnibus iis in casibus, in quibus uteri os non satis apertum sit, spongiae immissio perquam difficilis nonnunquam perpetrari nequeat, quae res tanto majoris erit momenti, quod in pelvi coarctata illoque tempore, quo operatio suscipitur, portio vaginalis alte admodum sita est. Hae fere causae *Busch* (Neue Zeitschr. etc. Bd. I. H. 2. p. 132.), ut suum Dilatatorium excogitaret, perpulerunt, quod instrumentum, valde aspernandum, alienum videtur, describere. — Praeterea methodus haec nullam exhibuit, alias Inflammatorias genitalium irritationes excitavit. Huius rationi

IV. Methodus a Schoeller prolata

adnecti potest (l. c. p. 14 seq.), quae quidem alteram, modo descriptam, simpliciore reddere conatur. Haec in universam in eo consistit, ut lex linteis carptis globuli pro vaginae latitudine vel angustia diversae magnitudinis conglomerentur, iique femina solito modo praeparata, alius post alium in vaginam inferantur. Superior vaginae pars arctissime expleri jubetur, neque tamen *Schoeller* obturationem usque ad introitum necessariam judicat. Expletio semel vel pluries in die repetitur, quae in rebus injectionibus purgatur vagina. Methodi efficacia externis uteri perfrictionibus, atque porrigendo Secali cornuto, si quidem dolores forte cessaverint, adjuvari potest. In irritatione, cum *Schoeller* globulos unguento cum opio vel extracto Belladonnae in contrario casu remediis irritantibus, vel adeo infuso autinctura Secalis cornuti illi jubet. Neque usus spongiae maritimae solutione gammi arabici vel amylo impraegatae videtur, qui tamen minus dicitur efficax esse, quam impletio ope globulorum ex linteis carptis. *Schoeller* in opusculo suo 6 casus, in quibus optimum eventum observaverit, descriptos tradidit. Partus post impletionem ope globulorum ex linteis carptis, duobus in casibus duobus, in uno tribus diebus elapsis consecutus est, spongia impleta, semel post 6, altero in casu post novem denuo diebus

Matres nihil detrimenti acceperunt, ex infantibus 6 vivi editi sunt 5. Ea methodus, adhibitu facilis, periculo carens, non, ut gravidæ, id quod saepe ingratum est, in lectulo maneat, postulat: idque unum in ea improbari potest, quod efficacia perquam est ambigua. *Kilian* (l. c. p. 295 — 296.) frustra eam tentavit, quo adductus, possitne in usum communem recipi, dubitat. —

#### V. Methodus per interna remedia.

Hæc methodus a *Bongiovani* (*Schippan*, l. c. p. 107.) in usum introducta in solo Secali cornuto porrigendo consistit. Neque tamen ipsi auctori feliciter successit, ideoque ab omnibus rejecta fuit. Nuperrime tamen a *van Wageninge* (*Vierteljahrschrift etc. Jahrg. III. 1846. Bd. IV.*) et *Francisco Ramsbotham* (*Kilian*, l. c. p. 298.) commendata rursus ex oblivione emerit. Attamen in ea utenda a *Ramsbotham* casibus 26 tantum 12 infantes, quamvis matribus nihil damni subeuntibus, viventes observati sunt; ceteri brevi post partum tempore mortem occubuerunt, 4 non vivebant nisi horas 36. Alia ejus rei causa inveniri non potuit, quamobrem ipse *Ramsbotham* majoribus intervallis illud remedium præbere coepit, velamenta, quum primum dolores existerunt, pupugit, indeque Secalis cornuti usum totum intermisit. *Ramsbotham* in tali operandi genere vim haud dubie prosperam in uteri ore emolliendo et aperiendo ubique a se observatam esse testatur. — Noxiam autem vim, quam Secale cornutum in infantem exsereret, *Haselberg* (*Vierteljahrschrift etc. Jahrg. I. 1844. Quart. 4. p. 165.*) quoque animadvertit, qui ideo magnopere, id remedium ne in partu præmature artificialiter provocando adhibeatur, cavendum esse censet. — Omnino ea ratio, nisi ad alias methodos adjuvandas, usurpari nequit; quamquam cuique temerario Secalis cornuti usui repugnandum est, namque eo non solum infantis mortem committere possumus, verum etiam aliquando matrem, utero rupto, orco demittere. Id præcipue dictum volumus de partu præmature artificiali ob nimiam pelvis angustiam instituto. —

#### VI. Methodus ab Hyster prolata.

(*Neue Zeitschrift etc. 1843. Band 14. p. 126 seq.*)

Quæ talis est, ut vesica vitulina, aqua vel decpcto secalis cornuti impleta, in vaginam gravidæ, salinis laxantibus, clysmatis, cathetere, injectionibus balneisque tepidis præparatae, usque ad uteri os inducatur, fasciæque T literæ instar formata figatur. Dolores, quos plerumque horis 24 — 36 exactis intrare dicunt, levioribus gravidæ in cubiculo motionibus juvantur. Vesica bis in die mutatur semperque vagina injectionibus tepidis purgatur. Si quando opus judicatur, uteri perfrictiones in orbem instituuntur, quod si nihil proficiat, in vesicam spongiam quoque introduci jubent. Qui tali modo 12<sup>ies</sup> operatus est, *Huster* (*Daniel, Diss. de nova partûs præm. arte legitime provoc. methodo. Marburgi Cottarum. 1843.*) talia observavit: dolores solito inter 4<sup>m</sup> et 5<sup>m</sup> diem intrare, partum uno in casu hora 24 post primam vesicæ immisionem, in duobus die 2<sup>do</sup>, semel die tertio, semel die 4<sup>to</sup> consecutum. Ex 7, qui restant, casibus partus semel die 7<sup>mo</sup>, bis 8<sup>vo</sup>, semel 9<sup>no</sup>, bis 11<sup>mo</sup>, semel denique die 13<sup>mo</sup> effectus est. Quibus omnibus in casibus methodus Boracis et Secalis cornuti usu rite adjuncta est, quia etiam spongiam pressam in usum conferre coacti sunt. Ceterum eventus tum matribus tum infantibus faustus.

#### VII. Methodus per galvanismum.

Ea primum a *Schreiber* (*Neue Zeitschrift etc. Bd. 14. p. 36 seq.*) commendata fuit, experimentis ab *Achard* et *Magrini* institutis nitente, qui oris cavitate et ano utroque catenæ galvanicæ polo contingendis tractum intestinale ad contractiones vehementissimas concitarant. Ea in re *Schreiber* tali agendi ratione utitur, ut, femina in lectulo collocata, bacillus metallicus inflexus per tubulum vitreum incurvatum in vaginam usque ad uteri os inductus cum polo positivo in contactum adducatur. Simul ad regionem umbilicalem vel sacralem, aqua salina humectatam, lamina metallica manûs magnitudinem referens affixa

cum polo negativo conjungitur, vel hunc polum per tubulum ex resina elastica vel vitro factum in utero per anum vim exhibere sinunt. *Schreiber* hujus methodi comoda talem in modum describit: 1) Eam partum dynamico modo, itaque eo, qui naturam proximam sit, efficere. 2) Eandem omnibus incommodis, quae auxiliis mechanicis et pharmaceuticis, ad partum praematurum artificialem adhibitis, adhaereant, carere. 3) Pariter irritationem produci partu processui naturali progressivo respondentem. 4) Methodum omnino in medici obstetricantis esse potestate, ideoque casibus, qui forte intrent, accommodari posse. 5) Eam velamentis parcere. 6) In ejus usu nullam periculosam partus retardationem metuentam esse, quum ad arbitrium incitamenti vim continuare possit. — Haec methodus, quantum quidem novimus, semel ab *Hoentger* et *Jacoby*, *Dorrington* et *Radford* et his a *Kilian* (*Vierteljahrsschrift etc. Jahrg. IV. 1847. Bd. 2. p. 72.*) adhibita. In omnibus his casibus eventus certissimus apparebat, tamen in casu, a *Dorrington* allato, infans mortuus est editus, facie coerulea, clunibus serotoque valde ecchymoticis. *Kilian* (l. c.) ad partum provocandum semper fluxibus vehementissimis opus esse admonet, neque se de sequelis sponsonem interponere ait, in qua eadem sententia est *Hofmann* (*Neue Zeitschrift etc. Bd. 18. 1825. p. 544.*). Nostra opinione, dum natura nullum infanti pariendo isolatorem praebuerit, fluidum galvanicum in ejus nervorum systemate nondum perfecte organisato vix satis vim exhibere putetur.

**VIII. Methodus per injectiones.**

Hanc rationem, quae primum a *Schweighaeuser* commendata fuit, postero tempore praecipue imitatus est *Schnackenberg*, eodemque recentissimo tempore (1847) forma omnino nova multoque commodiore rursus Hamburgi per *Cohen* (*Neue Zeitschr. etc. Bd. 21. H. 1. p. 110 seq.*) revocata. Agendi ratio talis est: ut communem siphonem in infantiam Medicis usurpatam, quo fore

2 vel 2½ unciae liquoris continentur, parvulus tubus, 8 vel 9'' longus, cochleis affigitur, cujus extremus finis diametro est ⅛ vel 1'', catheteris muliebris ad instar incurvatus. Gravida, posterioribus sub strato aliquo elevatis, in planum deponitur, quo facto obstetricans medicus duos per digitos, usque ad posticum oris uteri marginem immisos, tubulum paulatim inter anteriorem uteri parietem atque velamenta in uteri os inducit, siphonis manubrium deorsum, corpus ejus, post symphysin ossium pubis progrediens, sursum premit, neque tamen prius liquorem ejicere incipit, quam tubuli finis ad 2'' in uteri os introverit, qua in re, ut tranquillus tardiusque agatur, praecipiunt. Tum manubrium paululum sursum attollitur, ut ne orificio uteri paries tangatur. Inde siphonem tarde evacuatur, qua in re, si quid obstaculi animadverteris, quum tubuli orificium ad partem molliorem applicitum esse intelligatur, directio paululum erit mutanda, usque dum siphonem cum aliqua facilitate exinaniri senseris. Tum siphonem eadem tarditate rursus retrahitur, indeque 10 sexagesimis transactis gravidam iterum meare licet. Sex horis praeterlapsis, injectio iteratur, nisi forte interea partus symptomata in conspectum venerint.

*Cohen*, quantae haec sua methodus sit efficacitatis, probaturus, casum commemorat, in qua, ea adhibita, felicissimum observavit eventum. In multipara, jam prius ope perforationis soluta, ob magnam pelvis angustiam operationem instituens primam injectionem 4<sup>ta</sup> postmeridiana hora suscepit, quae quum omnino facilis esset, doloreque careret, 10 sexagesimis circumactis, femina rursus ambulare potuit. Hora vespertina 9<sup>ta</sup> iterata injectione, tribus horis post horripilationes intrarunt, aliquot apparuere sanguinis guttulae, levisque dorsi tensus ingruit. Insecutis deinde doloribus satis lenibus, postero die mane *Cohen* uteri os haud parum invenit apertum. Pedes praevii erant, neque tamen velamenta prius dirupta sunt, quam pedes, sub tertiam horam post meridiem doloribus ex vagina propulsi, ea rumpent. *Cohen* omnia usque ad brachia expellere naturae permisit, quo facto, quam celerrime caput in diametrum supe-

rioris pelvis transversam movisset, infantis vivi, quem postea laetissime effloruisse narrat, ad finem adductus est partus.

*Cohen* methodi suae virtutes hunc in modum enumeravit:

1) Quod auxilium illud 6 vel 7 horis vim suam exsereret. 2) Quod per se omnis expers esset doloris. 3) Quod velamenta inviolata forent. 4) Quod neque ob situm, neque alia ex causa ulla gravidæ esset molestia. 5) Quod infans tam fuisset integer et validus, ut, quamvis situ inverso, partu tardius progrediente, statim clamitare posset. Quae cum ita sint, hanc methodum caeteris adhuc publici juris factis auxiliis longe celeriores habere efficacitatem, foetui nihil periculi praebere, neque matri dolorem ullum movere, ideoque talem esse, quae omne aliud auxilium superfluum reddat, *Cohen* arbitratur\*).

#### IX. Methodus a *Kiewisch* ab *Rotterau* commendata.

Haec in tepida aqua in uteri, quae adiri possunt, partes ope proprii cujusdem apparatus ea sub forma inspergenda consistit, quam in arte medica „*Douche*“ appellare consueverunt. Qui ad eum finem postulatur, apparatus simplicissimus est: receptaculum certae magnitudinis ad altitudinem unius et dimidiae orgyiae (*Klafter*) ad parietem affixum cum tubulo, usque ad solum perrecto, in conjunctionem adducitur. Inferior tubuli pars elastica est, in medio epistomium cernitur et tota pars inferior appendice bene applicata, in vaginam introducenda terminatur (*Kiewisch*, *R. von Rotterau*, *Beiträge zur Geburtskunde*, 1. Abtheil. 1846. p. 116.) Quod quidem nos sciamus, haec methodus 10<sup>ies</sup> tantummodo tum ab ipso inventore tum ab aliis medicis obstetricantibus fuit usurpata (*F. A. Kiewisch*, *R. v. Rotterau*, *Beiträge zur Geburtskunde*. 2. Abth. 1848. Würzburg. pag. 1 — 34.)

\*) Usus quidem est *Cohen* illo in casu aqua picea, alios tamen liquores idem effecturos esse credit. — Dolendum, quod *Cohen*, qualem in ea re adhibuerit aquae temperiem, disertius non refert, tamen nos frigidam optime dolores provocaturam verisimile judicamus.

En habes, quae nobis in promptu sunt, ad partum praematurum arte provocandum auxilia. — Quas *Ulsamer* proposuit, methodicae fundi uteri perfrictiones externae, nec non, quod *Chaussier* suasit, Extractum *Belladonnae* externae adhibitum, in *Anglia* multifariam in usum vocatum, nimirum omitti possunt.

Partu hac vel illa ratione suscitato. artificialis agendi ratio suum adsecuta est consilium. Partus dynamice eodem, quo aliis, modo tractetur, pariterque abnormitates mechanicae secundum generales regulas procurentur. Qua in re tamen, si forte forcipis usum postulari existimaveris, summa cautio adhibenda erit, quoniam ejus pressionem nimiam foetus nondum maturus plerumque vix satis perferre poterit. *Baudelocque* (*Wilde*, l. c. p. 202.), ab *Siebold* (*Schippan*, l. c. p. 39 seq.), *D'Outre-pont* (*Wilde*, l. c. p. 203.), et *Ritgen* (*Schippan*, l. c. p. 114 seq.) in partibus praematuris forcipe usurpata fere semper infantes mortuos in lucem produxere. — Quibus observationibus tamen, non desunt, qui repugnent, sicuti forcipis tali in casu usum *Kilian* omnino censuit innoxium. — Alii, si velamenta jam rupta fuerint, doloresque perquam sint vehementes, ne uterus rumpatur, metuunt, quod *Hamilton* (l. c. p. 158 — 159.) perpetua ad uteri os repressione ubique se vitasse affirmat.

Recens natorum cura ad artis obstetricae diaeteticam pertinet.

## SECTIO QUARTA.

*De statisticis artificialis partus praematuri relationibus.*

Observationes temporum priorum. — Observationes ex aetatis recentissimae praxi. — *Epicrisis.*

His ita expositis, practica operationis pars ut consideretur, reliquum est, cui quidem hanc ultimam nostrae commentationis sectionem tribuimus. Fieri non posse, ut omnes, quae ab aetate clarissimi *Macaulay* usque ad nostrum tempus prolatae sunt,

observationes hic describamus, per se patet, quam ob causam nos potius prioribus, de quibus ad operationis existimationem copiosiorē tantum in universum rationem reddituri sumus, praetermissis, non nisi in temporum recentissimorum observationibus opusculum nostrum versari volumus. Id nos eo meliore jure facere posse videmur, quod illae priorum observationes in operibus celeberrimorum *Reisinger* et *Schippan* plurimis locis a nobis appellatis diligentius descriptae sunt. Quum autem ea in re eandem, quam duo, quos modo memoravimus, viri docti, viam ingressi simus, ea, quae proponemus, quasi pro adumbrationum illarum quadam continuatione haberi rogamus, quoniam, quantum nos quidem novimus, talem descriptionem nemo ad hunc diem conatus est componere.

In operibus memoratis observationes 164 collatae, quae inde ab aetate cl' *Macaulay* usque ad annum fere 1830 in medium propositae fuerunt. Ex quo numero nos duos casus, ab *J. Barlow* allatos, eximendos censemus, quippe qui, uti judicamus, quum naturales partus praematuos praebuerint, huc trahendi non videantur. Duos casus a *d'Outrepont* prolatos, quo melius seriores ejus observationes intelligerentur, nostram in computationem recepimus. Itaque casus 160 relinquuntur, inter quos operatio 135<sup>ies</sup> ob pelvis angustiam, 6<sup>ies</sup> ob status morbosos, 13<sup>ies</sup> propter partus serotinos (*Ritgen*), 6<sup>ies</sup> indicationibus accuratius non commemoratis fuit instituta. Pelves coarctatae diametrum rectam 1 $\frac{1}{4}$ "', 2 $\frac{1}{4}$ "', 2 $\frac{3}{4}$ "' (*J. Barlow*), 2 $\frac{1}{2}$ "', 3"', 3" + 1"', 3 $\frac{1}{4}$ "', 3 $\frac{1}{2}$ "' habebant. — Morbi erant: bis habitualis foetus mors (*Denman*), semel tussis cum vomitu, semel periculosae varices, bis asthma. Ex 155 feminis, inter quas 20 primiparae erant, una pneumoniae, una hydropi, duae febris puerperali epidemicae, una hydropi et uteri putrescentiae, una phlegmaticae albae dolenti et asciticae, una uteri rupturae succubuit (*Clough*). Omnes reliquae servatae; partus secundinarum et puerperii turbationes fere nullae erant. — Ex infantibus 160 vivi editi sunt 111, mortui 49, ex prioribus servati 84, mortuis postea 27, ex quibus

unus ophthalmia recens natorum et ictero, unus cura deficiente, unus convulsionibus, unus variolis, unus scarlatinae post menses 11 obiit. De sitibus loquenti jam sumus supra. Operatio 138<sup>ies</sup> per velamentorum puncturam, 6<sup>ies</sup> ad methodum *Hamiltonii*, 13<sup>ies</sup> opē spongiae pressae, et semel secali cornuto peracta. Dolores plerumque in aequum ruptione post horas 2, 4, 6, 8, 9, 10, 20, 22, 24, 24 $\frac{1}{2}$ , 26, 30, 32, 48, 72, 84, bis tantum die 5<sup>to</sup> intrarunt. Partus solito horas 3, 4, 5, 9, 18, 19, 21, 23, 24, 38, in casibus 2 dies 2, in uno casu dies 3 et bis dies 4 duravit. In methodo *Klugii* adhibita dolores post horas 3, 5, 14, 17, 20, 26, 29, 75 ingrueunt, partus horas 5—48 continuati. In methodo *Hamiltonii* usurpata dolores post horas 13, semel post dies 3, et altero quodam in casu adeo post dies 11, in tertio post dies 26 exorti, partus dies 2 $\frac{1}{2}$  vel 2 durarunt. — Operatio ab hebdomade 27<sup>ma</sup> ad hebdomadam 37<sup>am</sup> quibuslibet ejus spatii terminis facta. — Haec sunt temporum priorum observationes, a quibus jam ad aetatem recentiorē transitum parentes, relationes inventas his brevibus descriptionibus reddemus.

**Historicae de temporis recentioris observationibus relationes.**

**James Hamilton** fere 57<sup>ies</sup> operatum sua in praxi tum ob pelvis angustiam, quibus ex casibus conjugata nupquam minor 2 $\frac{1}{2}$ "' erat, tum propter morbos, atque in pelvi normali, si quando, mulieres ex consuetudine liberos justo majores enitebantur, ad artis auxilium confugisse novimus. Operationem semper ad suam methodum, cujus summam cognoverit utilitatem, se executum esse affirmat, quamvis interdum ad velamentorum puncturam coactum fuisse haud inficietur. Suo in opere (l. c.) 5 modo infantes sitibus abnormibus a se repositos memorat, sed ex alio loco (*Hamburg. Zeitschr. Bd. 7. p. 472.*) fere dimidiam infantum partem sitibus infastis provenisse cognoscimus, id quod tamen, quum *Hamilton* ex infantibus 45 in vivo viderit 41 servatos, nullo pacto nobis verisimile videtur. —

**Moir major et minor** (Hamilton l. c. p. 157 et Moser, Handb. der Geb.-K. 1841. p. 308.) 12<sup>ies</sup> operatione instituta infantes 9 servarunt. — **Schneider** (Neue Zeitschr. Bd. 4. p. 246) semel ob vomitum non sedandum hebd. 31 velamenta specillo acuto pupngit, infante servato. — **D'Outrepont** (Canstatt u. Eisenmann Jahresber. Bd. 4. 1845. p. 678.) 11<sup>ies</sup> in 9 multiparis et 2 primiparis ob pelvim angustam velamentorum punctiorem adhibuit, postquam 8<sup>ies</sup> partim obturamento, partim dilatatorio *Buschii* frustra partum suscitare conatus his auxiliis nil aliud nisi inflammatoriae genitalium reactiones effici vidit. Operationes inter hebd. 34—37 institutae: in uno casu dolores post 3 horas, in 7 inter horas 18 et 21, in uno post horas 25 intrarunt. Omnes matres et infantes 9 vivere, 2 infantes mortui, quorum alter, praeviis humeris apparens, versionem et extractionem fugitavit, alter clunibus praeviis sese offerens pariter extractus est. In utroque forcipe opus erat. — **Papius** (Neue Zeitschr. Bd. 16. 1844. p. 14.) bis operationem fecit, cujus tamen de observationibus nihil nobis cognitum est, nisi eum, dilatatorio *Buschiano* cum matris detrimento usum, ad postremum ad velamentorum punctiorem confugisse. — **Horlacher** (Schmidt, Jahrb. Bd. 8. II. 1. p. 39.) semel in multipara, quae antea 4<sup>ies</sup> ope forcipis semelque perforatione mortuis semper infantibus liberata fuerat, operationem hebd. 32 per velamentorum punctiorem suscepit. Dolores, qui post horas 48 coeperunt, ob languorem borace adjuti, donec altero die infans vivus, qui integer servatus est, in lucem proveniret. Anno sequenti in eadem femina operatione a patre medici modo memorati hebd. 33 per velamentorum punctiorem instituta, infans praeviis clunibus apparens paulo post vita decessit. — **James** (Gemeinsam. Zeitschr. Bd. 6. p. 679.) ter in multipara, quae ante bis perforatione liberata erat, bis mense 7<sup>mo</sup>, semel mense 8<sup>vo</sup> operatus, ex infantibus editis duos vivos servavit, tertium, mense 7<sup>mo</sup> partum, mortem vidit occumbere. — **Seulen** (Archives générales de Medicine. Tom. IX. 1845. p. 489.) in multiparis ob pelvis angustiam 12<sup>ies</sup> velamentorum

punctiorem usurpavit: in 1<sup>mo</sup> casu infans, praeviis matibus mortuus apparuit, in 2<sup>do</sup> infans eodem situ editus paulo post obiit; in 3<sup>do</sup> non melior successus, in 4<sup>to</sup> vita infantis servata. Operatio in una eademque femina hebd. 31<sup>ma</sup>, 29<sup>na</sup>, 28<sup>va</sup>, 31<sup>ma</sup> facta. In duobus aliis casibus (Conjug. 2 $\frac{1}{2}$ ") operatione hebd. 30<sup>ma</sup>, 32<sup>da</sup> peracta infans alter servatus est, alter mortuus provenit. Praeterea in duobus casibus in femina, cujus pelvis rhaehitica conjug. 3" habebat, operatio hebd. 30<sup>ma</sup>, 28<sup>va</sup> suscepta duo infantes, quorum alter mortuus jam egressus est, alter postea periit, in lucem produxit. Rursus duo casus in multipara observati, cujus osteomalacica pelvis conjugatam 2" ostendit. Operatio hebd. 28<sup>va</sup> peracta infantes mortuos provocavit. Duo casus in multiparis obvii erant, quarum osteomalacica pelvis ad Conjug. 2 $\frac{1}{4}$ " 2 $\frac{1}{4}$ " coarctata erat. Infantes non multo post operationem decesserunt. — **Mende** (Gemeinsam. Zeitschr. Bd. 6. p. 499, 504, 553.) post suas priores observationes tres alios casus retulit. In 1<sup>mo</sup> primipara, pedibus mutilatis praedita, cujus pelvis recta superioris aperturae diametro usque ad 3" + 5 $\frac{1}{2}$ " eadem aperturae mediae diametro usque ad 3" + 11 $\frac{1}{2}$ " coarctata erat, mense 10<sup>ma</sup> operationi submissa. Os uteri feminae satis praeparatae instrumento a *Mende* invento rite dilatatum, spongiaque pressa introducta. Die postero spongia crassior immissa, quo facto denique dolores praesagientes coeperunt. Die 4<sup>to</sup> post dilatationem velamenti disruptis, demum die 6<sup>to</sup> quamvis magna dolorum esset energia, caput in mediam pelvis minoris aperturam ingressum est, doloribus cessantibus. Partu ope forcipis ad finem adducto, infans in vivis servatus. Casus alter ad primiparam pertinet, cujus pelvis diametro recta aperturae superioris usque ad 3" + 6 $\frac{1}{2}$ " coarctata erat. Hebd. 35<sup>ta</sup> spongia pressa introducta, post horas 3 dolores intrarunt, quorum tamen die subsequenti decrevit efficacia. Operatione iterata, 3<sup>to</sup> post priorem die vivi infantis partus consecutus, qui tamen refrigerio post diem 4<sup>um</sup> abreptus fuit. Casus 5<sup>us</sup> primiparam praebuit, cujus conjug. vix erat 3" + 3 $\frac{1}{2}$ ". Hebd. 35<sup>ta</sup> ore uteri

eo, quo descriptissimus, modo dilatato immissaque spongia pressa, dolores post horas duas intrarunt, et post horas 14 infans vivens, cui vita etiam servata, lucem adspexit. **Van den Kleboom** (Gemeinsam. Zeitschr. Bd. VI. p. 679.) semel ad methodum *Klugii* operatione facta infantem, dum partus durat, mori cernebat. — **Wellenbergh** (Ej. Abhandl. über einen Pelvimeter. Haag. 1831.) bis ob pelvis angustiam in multiparis operationes instituit, quarum altera perforatione ad finem vocata. — **Busch** (Neue Zeitschr. Bd. I. p. 136, 138; Bd. V. p. 239.) 5<sup>ies</sup> operatus est; semel in primipara propter convulsiones, et 4<sup>ies</sup> ob pelvis angustas, quarum conjugata erat inter 2" + 8" et 3½". Omnes operationes fere post hebdom. 32<sup>am</sup> institutae, uteri ore ipsius viri docti dilatatorio extenso. Partus, quamquam semel usque ad diem 8<sup>am</sup> cunctatus erat, non tamen tardus videbatur. Duo infantes mortui egressi, ex matribus una phlebitide uterina consumpta. **Franciscus Ramsbotham** (Lond. med. Gaz. Vol. XXIV. p. 420. — Schmidt, Jahrb. Bd. 31. p. 175. — Kilian, l. c. p. 262 a. q. l.) infantes 62 ante naturi partus tempus hanc lucem conspiciere jussit. Velamentorum punctione 36<sup>ies</sup> usus, infantes 15 mortuos produxit, in quibus semel gemelli erant, tres praeviis natibus vel pedibus, duo sitibus transversis versionem expositulantibus prodire. Ex infantibus 21 vivis unus pedibus, unus clunibus praeviis provenit, uterque paulo post mortuus, reliquis 19 viventibus. In casibus 26 operatio secali cornuto effecta, ex quibus 14 infantes mortui editi, unus eorum praeviis natibus, duo praegressa craniotomia. Infantes 12 in partu vivebant, inter quos unus ob humeros praevios versus brevi occubuit, 3 nullis convulsionibus prima statim hora decessere, 4 convulsionibus comitantibus intra horas 36, ita ut ex hisce infantibus 12 tantum 4 longius per tempus vivi manerent. Copia Sebala cornuti in infuso prophati singulis in casibus inter 3jj et 3xii variabat. Ex matribus una utero dirupto obiit. — **Basedow** (Preussische Medicinzeitung. 1833. Jahrg. 2. p. 142.) semel in moribunda femina

Cholera correpta velamentorum punctiōem usurpavit. Infans quidem mortuus prodiit, femina tamen servata. **Lever** (Hamburg. Zeitschr. Bd. 21. p. 459.) semel ob articulationis gēna osteosarcoma et 5<sup>ies</sup> ob pelvim angustam ad evitandam perforationem operatus semel tantum infantem partui superesse vidit. **Rigby** (Jahrb. Bd. V. H. I. p. 86 et Bd. XII. H. 3. p. 342.) tribus in casibus operationem instituit, in quorum duobus cum multiparis res erat, quarum utraque jam prius semel perforatione partu liberata fuerat, quarumque pelves usque ad 2¾" Conjug. coarctatae cernebantur. Postquam Secale cornutum in priore casu hebdom. 31<sup>a</sup>, in altero sub fine mensis 8<sup>vi</sup> dosibus sat magnis porrectum intra 3 et 2 dierum spatium non multum successus praebuit, velamentorum punctiōem in usum vocavit. Doloribus brevi validis intrantibus, partu, post duos fere dies consecuto, infans vivus, cujus etiam vita conservata est, prodiit. In altero casu post horas 8 partu incipiente, infans, qui humeris praeviis sese obtulit, in pedes est versus, at, capite difficultatem exhibente, jam mortuus provenit. Tertius casus qualis fuerit, *Rigby* non descripsit. — **Kilian** (l. c. p. 262.) qui 13<sup>ies</sup>, et quidem 10<sup>ies</sup> ob pelvim angustam et ter ab morbos operationem suscepit, vivos infantes 11 vidit. **Robertus Lee** (Kilian, l. c. p. 262.) minimum tricies semel ob pelvis angustiam maximeque propter morbos operatus infantibus 12 vitam servavit. **Manpe** (Casper, Wochenschrift etc. Jahrg. 1834. p. 785.) ad suam methodum 5<sup>ies</sup> in multiparis, quae antea artis auxilio liberis mortuis solutae fuerant, ob pelvis angustiam (C. 3½"), operatione hebdom. 3, 4, 6 ante normale pariendi tempus instituta, dolores horis 12—34 existere observavit. — **Ulsamer** (Vierteljahrschrift für die praktische Heilk. Jahrg. II. 1845. Bd. IV. p. 78. — Jahrg. III. 1846. Bd. I. p. 77.) 5<sup>ies</sup> operationes factas memorat: 1) semel in multipara ob rhachiticam pelvis totius ejusque exitus coarctationem, hebdom. 31<sup>ma</sup> secundum m. *Klugianam*, quo in casu, partu horis 56 consecuto, infans praeviis natibus vivus egressus est, mater autem feбри puerperali succubuit, 2) bis in multi-

paris, propter vehementem Eclampsiam hebd. 38<sup>va</sup> ad eandem m., quorum casuum in altero partu praeviis natibus post horas 15 secuto, infans vivus proliit, in altero aequae vivus infans partu, horas 4 durante, est editus, 3) semel ob periculum suffocationis nimio liquore amnii adductum, quo in casu hebd. 32 ratione *Hamiltonii* adhibita, partus horis 42 secutus est, infante mortuo, 4) semel in multipara, quae primo partu ope forcipis violenter ab alio soluta, ruptionem ligamentorum symphyseos ossium pubis et ruptionem vaginae perpressa erat, iterumque perforatione ab ipso *Ulsamer* liberata fuerat. Operatione ope spongiae pressae hebdom. 35<sup>ta</sup> peracta, horis 45 infans vivus, validus, qui in vivis servatus est, in lucem provenit. — **Goetz** (*Neue Zeitschr. Bd. II. p. 224.*) semel ob pelvim angustam in multipara, quae jam antea bis perforationi submissa fuerat, secale cornutum indeque velamentorum punctiorem in auxilium vocavit. Doloribus post horam ortis, infans propter transversum situm versus et extractus fuit: attamen, quum caput haereret, ad uncum acutum confugiendum erat. — **Stoltz** (*G. Adelman in d. Neuen Zeitschr. Bd. VIII. p. 146 seq. — Allgemein. Repertorium Jahrg. XVII. Juni 1843. p. 198. — Gazette médicale de Strassbourg.*) bis ob pelvis angustiam operationem adhibuit. In casu priore infans conservatus, in altero in multipara, quae jam antea 4<sup>ter</sup> infantibus justo majoribus summa difficultate soluta fuerat, Conjug. 3 $\frac{1}{4}$ '' habente, hebd. 35 — 36 operatio ope spongiae pressae instituta. Dolores post 11 hor. suscitati horis 14 velamenta diruptioni propinquae reddiderunt, quae *Stoltz*, ut capiti meliorem situm daret, pun-genda censuit. Quod quamquam successit, dolores tamen languidi et intermittentes evaserunt. — Borax cum Castoreo non-nisi in tempus usum attulit, verus uteri spasmus invasit, caput loco se non movit, et localis relationis impedimento cog-nito, *Stoltz* forcipem applicuit. Cujus tamen usus perdifficilis, et capite in 1<sup>m</sup> positionem praevio occipite moto postea humeri obstaculum exhibuerunt. Infans, cujus caput maturi infantis capi-

tis magnitudinem excessit (Longitudo erat: 18 $\frac{1}{2}$ ''; pondus 6  $\mathcal{L}$ . + 8  $\mathcal{z}$ ; diam. recta: 4 $\frac{1}{2}$ '', obliqua: 5''; transv. 3'' + 8''', humer. latitudo 5'' + 6'''), jam mortuus erat. Tempore seriore idem casus 4 communicavit, quorum primus ad multiparam per-tinuit, jam antea bis a S. difficillima ope forcipis operatione soluta, cujus conjug. usque ad 3'' + 2 — 3'' coarctata erat. Operatione diebus 20 ante normale pariendi tempus ad m. *Klugii* instituta, paulo post tenesmus vesicae urinariae et abdominis in-flatio apparere. Postero die doloribus, qui exorti fuerant, brevi cessantibus, velamentorum punctiorem peracta, hora 7<sup>ma</sup> infantis caput in pelvis introitum ingressum ibi cum magno ejusdem tumore mansit. Aliquot horis praeterlapsis dolores remiserunt, quo facto alvi dejectio non voluntaria, singultus, borborygmi in-gruerunt. Doloribus post aliquot horas magis etiam elanguescen-tibus, vomitus faeces redolens et magna virium prostratio ex-stitere, atque dolores toti evanuerunt. *Stoltz* ad extractionem aggressus tamen jam, dum ea paratur, dolores sat validos incipere partumque infantis, in vivis etiam servati, consequi vidit. — Casu altero multiparam nactus est, quae antea bis liberos mortuos enixa, semel ope forcipis infante pariter mortuo soluta, semel praemature infantem vivum pepererat, semelque versione difficil-lima infante mortuo liberata fuerat et semel abortum ediderat. Conjugata erat 2 $\frac{1}{4}$ '''. Hebdomade 35<sup>ta</sup> spongia pressa applicata et die postero spongia crassiore immissa, die tertio paululum liquoris amnii cum sanguine defluxit, doloribus, qui coeperunt, magis magisque languescentibus. Die 4<sup>to</sup> subito magna aquarum copia manante, dolores toti cessarunt. Die 5<sup>to</sup> liquor amnii tarde defluxit, horror et nausea, dum dolores durant, apparere. In uteri ore interno funiculi umbilicalis laqueus praevius esse vide-batur, quae res *Stoltz*, ut extractionem, ad caput usque facile succedentem, susciperet, commovit. Caput autem forcipem, cujus tamen applicatio non bene processit, flagitabat. Manibus igitur cum summa difficultate extractum eadem, qua infantis maturi caput, erat magnitudine. Infans mortuus. Ingenti matris haemor-

rhagia durante, neque manus immissio, neque aquae cum aceto injectiones quidquam profecere. Abdomen inflatum dolores praebuit, unde femina 4<sup>um</sup> post diem, omnibus peritonitidis symptomatis apparentibus, vita decessit. Sectio cadaveris magnum serosum in cavo peritonei exsudatum, in superiore sinistra vaginae regione fissuram, per quam duobus digitis aditus patebat, et infiltrationem sanguinis purulentam, ad renem usque progredientem, in textu celluloso sub peritoneo in sinistra fossa iliaca ostendit. Conjugata multo minor erat, quam credebatur: in superiore parte tertia posterioris planitiei symphyseos ossium pubis exostosis 4<sup>um</sup> alta erat, conjugatam usque ad 2<sup>um</sup> + 10<sup>um</sup> coarctans. **Meissner** (Heidelberg. medicin. Annal. Bd. VI. H. 4. — Schoeller, l. c. p. 12.) ad suam methodum 14<sup>ies</sup> operatus omnes infantes servavit. Plura, ubi de methodo diximus, descripta. **Michaëlis** (Neue Zeitschr. Bd. 4. p. 191) semel in multipara, jam antea bis summa difficultate infantibus mortuis soluta, operatus est, cujus pelvis coarctata conjugatam 2<sup>um</sup> + 3<sup>um</sup> vel 3<sup>um</sup> + 1<sup>um</sup> habuit. Aderat etiam in symphysis margo prominens. Operatione fere mense 8<sup>vo</sup> ad methodum *Klugii* instituta dolores validi brevi tempore orti. Die sequenti funiculum umbilicalem juxta caput praevium nec non uteri circa caput stricturam animadvertit, qua re funiculo umbilicali super stricturae anulum promotum die tertio doloribus vehementibus cum vomitu conjunctis infans, in vivis etiam servatus, provenit. Mater gravi haemorrhagia secundaria cum vomitu juncta et intumescencia durissima dolorifica uteri super umbilicum extensi vita decessit. Sectio gangraenam interioris uteri faciei et conjugatam vix 2<sup>um</sup> + 8<sup>um</sup> monstravit. **Niemeyer** (Fischer, Diss. de partu p. a. Halae. 1836.) bis in primiparis ob pelvis angustiam velamentorum punctiōnem in usum convertit. Uterque infans mortuus prodiit. **Güntz** (Allgem. Repertor. Jahrg. XI. Juli 1837. p. 40.) semel ad m. *Meissneri* operatus infantem servavit. **Hayn** (Casper, Wochenschrift. 1837. No. 31.) semel ob habitualementem foetus paulo ante partum mortem intra horas 48, quater spongia pressa ap-

plicata et ter ore uteri instrumento dilatato, infantem produxit in vivis manentem. **Ashwell** (Hamburg. Zeitschr. Bd. 6. p. 345, Bd. 8. p. 449.) semel ob osteosarcoma femoris, rapide progrediens, quo amputatio celerrima postulata est, inter mensem 7<sup>um</sup> et 8<sup>um</sup> velamentorum punctiōne usus fuit. Dolores post horas 27 apparere, infans praeviis clunibus partus, mater post 3 hebdomadas ex amputationis sequelis mortua. Serius idem ob malum externorum genitalium in graviditate malignum (?) mense 7<sup>mo</sup> operatus infantis caput, quia periculum erat ne in transitu genitalia rumperentur et haemorrhagia matri debilitatae periculosa intraret, perforavit! **Willeneuve** (Jahresberichte. 1842. p. 68.) semel in primipara, cujus pelvis coarctata tantum 5<sup>um</sup> conjugatam habuit operatione usus est, quae tamen qualis fuerit, non memoratur. **Spoendli** (Jahrbücher. Bd. XIX. p. 59.) in multipara, quae jam semel ope forcipis mortuo infante liberata fuerat, ob pelvis angustiam (C. 5<sup>um</sup>) hebdomada 35 ad m. *Mampianam* operatus, velamenta perforavit. Post horas 25 infans, cujus vita servata, egressus est. **Ed. Casp. Siebold** (Neue Zeitschr. Bd. 11. 242.) semel, quum methodus *Klugiana* et Secalis cornuti usus 4 dies continuatus nihil proficeret, hebdomada 33<sup>ia</sup> in multipara, quae antea quater summa difficultate mortuos infantes enixa erat, propter pelvis angustiam (C. 3<sup>um</sup>) operationem per velamentorum punctiōnem exsecutus, partum post horas 51 subsequi observavit. Ob infaustam situm capitis et funiculi umbilicalis prolapsum versio in pedes et extractio peracta atque propter metrorrhagiam placenta arte soluta. Infans vivus mansit. **Edward Cory** (Jahrbücher. Bd. 21. p. 209.) semel propter pelvim angustam (C. 2<sup>um</sup>) in multipara, quae prius bis per embryotomiam soluta erat, sine 7<sup>mi</sup> mensis Secali cornuta usus est. Dolores exorti paulo post remiserunt, quo facto velamenta digito dirupta. Infans asphycticus post 3 dies egressus in vivis servatus est. **Paul Dubois** (Archives générales de Médecine. Tom. VII. 3<sup>me</sup> Ser.) semel ob Eclampsiam mense 8<sup>vo</sup> spongiam pressam et Secale cornutum adhibuit. Partu horas 10 continuato, infans materque

servati. **Schoeller** (l. c. et in Schmidt, Jahrb.) 8<sup>o</sup> ob pelvim coarctatam operationem ad suam ipsius methodum instituit, cujus qualis fuisset efficacia in descriptione exposuimus. Infantes duo praevis natibus egressi paulo post occubuerunt, 6 servati sunt, inter quos unus facie praevia apparuit. **Simonart** (Jahresberichte. Bd. 4. p. 679.) bis ob pelvis exitum coarctatum (2 $\frac{3}{4}$ “) in multipara, quae jam antea semel ope forcipis magna difficultate soluta fuerat, mense 8<sup>o</sup>, quum spongia pressa nihil proficeret, methodum *Schoelleri*, Secali cornuto diligenter adjectum, in usum convertit. Alter infans, forcipe evolutus, vixit. — **Clarke** (ibidem. p. 679.) semel in multipara, quae ante 5<sup>o</sup> infantes mortuos enixa, semel naturali partu praemature infantem vivum ediderat, mense 8<sup>o</sup> oris uteri ope digiti irritationem singulas in horas repetitam adhibuit, extractum Belladonnae eidem illivit et parvas doses Secalis cornuti porrexit. 4<sup>o</sup> post die partus insecutus. **Siebrecht** (ibidem. p. 679.) semel in multipara, quae saepius infantes justo majores mortuos pepererat, cujusque conjugata erat 3 $\frac{1}{2}$ “, operationem spongia pressa adhibita instituit. Infans, qui praevis pedibus se offerens extractus est, hora elapsa decessit. **Hauck** (Jahrbücher. Suppl.-Bd. III. p. 200.) semel in multipara, jam prius difficili ope forcipis operatione mortuo infante liberata, et semel a. p. p. provocatione cum optimo successu enixa, propter pelvim angustam operationem fecit. Horis 56 post spongiam pressam hebdomada 34<sup>ta</sup> introductam dolores apparuerunt: infans in vita servatus. **P. U. Walter** (Neue Zeitschr. Bd. 16. p. 162 seq.) in multipara semel ob pelvis angustiam operationem instituit. Ejus primus partus capite praevio forcipem flagitavit, secundus versionem in pedes atque forcipem postulavit, infantibus artis auxilio perditis. Partus 3<sup>as</sup> et 4<sup>as</sup> non sine difficultate duas parvas puellas produxere: in 5<sup>o</sup> infans adhibita forcipe periit. Omnibus his partibus auxilio alius medici factis, artificialis partus praematuri provocatio in 6<sup>o</sup> graviditate a *Waltero* commendata ab altera hebdomade, nulla viri docti culpa, in alteram dilata fuit, donec ipsa natura, corporis

contentione praegressa satis praemature infantem vivum in lucem edidit. In 7<sup>ma</sup> graviditate, ipsa femina artificialem partum praematurum postulante, *Walter* tum hoc desiderio, tum prioribus partibus, nec non pulmonum catarrho plures hebdomades jam exstante commotum se vidit, ut hebdomadae 34<sup>ta</sup> — 35<sup>ta</sup> velamentorum punctionem ad rationem *Wenzelianam* susciperet. Octo horis post alteram punctionem, quae 6 post priorem horis, quia aquae fluere cunctabantur, instituta fuerat, infans validus, in vivis manens, lucem adspexit. **Hacksteen** (Jahrb. Bd. 37. p. 190 seq.) semel in multipara jam prius partibus difficillimis mortuis infantibus liberata ob pelvis angustiam (C. 3 $\frac{1}{2}$ “) hebdomada 34<sup>ta</sup> ad m. *Klugii* operatus, quum 3 dies nullam ejus methodi vidisset efficaciam, velamentorum punctionem adhibuit. Infans, uti fert, capite pedibusque simul praevis apparuit, quo facto pedum repositione metrorrhagia impedita, versio in pedes facta infansque asphycticus servatus. **Jungmann et Kiewisch ab Rotterau** (Jahrbücher. 1. Jahrg. H. 9. p. 107.) semel ob pelvis angustiam velamentorum punctionem instituerunt, quo facto die sequenti dolores vehementissimi intrarunt, qui brevi tempore spontaneam reluctantis uteri colli abruptionem effecerunt. Ad genitalia infiltratio apparuit sanguinolenta, abdominis tegumentorum emphysema exstitit, doloresque toti elanguerunt. Capite perforato, infantem, quo facilius extraheretur, in pedes verterunt. Femina paulo post obiit diem supremum: sectio cadaveris *universalem pelvis in omnibus diametris uno pollice coarctationem* ostendit, uterus a vagina et uteri collum ab utero abrupta. Peritoneum inviolatum. Vestigia Endometritidis aderant. — Postea **Kiewisch** (Vierteljahrschrift etc. Jahrg. IV. Bd. 1. p. 42.) semel ob pelvis angustiam in multipara, quae jam antea artis auxilio difficillime plerumque mortuis infantibus soluta fuerat, post autem bis faustissimo eventu partum praematurum artificialem sustinuerat, operationem instituit. Methodi *Meissneri* usu non succedente, *Kiewisch* ad rationem *Wenzelianam* velamentorum punctionem fecit, adeo dolores horis 25 post primam punctionem coepta brevi

validi evaserunt, mox autem remittentes, ut ad *Secale cornutum* confugeret, coëgerunt. Infans ita paulo post editus in vivis mansit. — Postero tempore *Kiewisch* (Ej. Beiträge etc. 11. Abtheil. 1848. p. 1—34.) 10 casus, in quibus operatio ad ipsius methodum instituta fuit, publici juris fecit. In quorum primo cum multipara res erat, in qua pelvis justo minor (C. 3'' + 4'') artificialem partum praematurum jussit. Operatio hebd. 34<sup>ta</sup>, quinquies adhibita die 4<sup>to</sup> infantem mortuum produxit, matre feбри puerperali epidemicae succumbente. In altero casu multiparae pelvis pariter coarctata erat (Rhachitis. Conjugat. 2'' + 6''). Operatione hebdomade 31<sup>ma</sup> peracta, post methodum 12<sup>ies</sup> adhibitam die 6<sup>to</sup> versione vivus infans prodit, qui tamen jam die 3<sup>io</sup> mortem occubuit. In casu tertio pelvis rhachitica multiparae conjugatam habebat 2'' + 10''. Operatione hebd. 32<sup>da</sup> facta, quum methodi usus quater iteratus esset, die 3<sup>io</sup> vivus infans, tertio tamen die post mortuus, in lucem est editus, matre feбри puerperali epidemica abrepta. Quartus casus primiparam obtulit metritide pertinaci laborantem, in qua hebd. 34<sup>ta</sup> partu praematurum artificiali tentato, post methodum quater usurpatam horis 40 infans vivus in vivisque servatus egressus est. In quinto casu multipara pelvi justo minore (C. 2'' + 6'') operationi hebd. 31<sup>ma</sup> submissa est, quae, methodo 18<sup>ies</sup> adhibita, die 7<sup>mo</sup> infantem vivum et in vivis manentem produxit. Casus 6<sup>tus</sup> in primipara intestini incarcerationem ex hernia umbilicali consecutam obtulit, quam ob rem operatione hebd. 29<sup>na</sup> suscepta, postquam methodus 9<sup>ies</sup> adhibita est, horis 20 infans vivus partus est, qui tamen horis 9 circumactis moritur. Mater intestini ruptura assumpta. Casus 7<sup>mus</sup> primiparam praebuit rhachiticam, cujus conjugata erat 3'' + 3''. Operatione hebd. 35<sup>ta</sup> in usum vocata, post methodum 18<sup>ies</sup> usurpatam, die 6<sup>to</sup> vivus infans, tribus tamen post horis mortuus, lucem adspexit. In casu 8<sup>vo</sup> primiparae pelvis justo minor conjugatam habebat 3'' + 3''. Operatione hebd. 35<sup>ta</sup> facta, methodi usu 6<sup>ies</sup> repetito, horarum 35 spatio per extractionem infans asphycticus

provenit, quem tamen non licuit vivum servare. Casus 9<sup>mus</sup> primiparam obtulit rhachiticam, cujus conjugata tantum 3'' erat. Operatio hebd. 37<sup>ma</sup> suscepta methodusque 7<sup>ies</sup> adhibita die 4<sup>to</sup> infantem mortuum emisit. In casu 10<sup>mo</sup> primiparae rhachiticae conjugata 3'' + 3'' erat. Operatione hebd. 35 instituta, quum methodus 15<sup>ies</sup> adhibita esset, die 7<sup>mo</sup> infans provenit vivus, in viventibus manens. **Hodgson** (Jahrbücher. Bd. 34. p. 155.) peregit bis operationem: priore casu in multipara, quae ante bis partibus difficillimis, semel perforatione soluta fuerat. Mense 8<sup>vo</sup> Secali cornuto (3j tertia quaque hora) propinato post doses 6 vesicam dirumpi vidit, indeque adhuc Secalis cornuti drachmam (3j decima quaque sexagesima) porrexit. Hora exacta infans, qui in vivis etiam mansit, in lucem prodit. Casu altero pariter ob pelvis angustiam mense 8<sup>vo</sup> operatione facta post unam Secalis cornuti dosin (10 gr.) velamenta puncta. Dolores post horas 7 coeperunt, quibus remittentibus 10<sup>ma</sup> quaque sexagesima 3j Secalis cornuti praebebatur. Post doses 3 vivi infantis partus consecutus est. **Bezold** (Allgem. Repertor. Jahrg. XV. Septemberheft. p. 54.) in multipara, quam antea bis versione infantibus mortuis liberaverat, in secunda graviditate cum prospero eventu debilitandi ratione a *Brueninghausen* commendata usus, in tertia ad perforationem confugere coactus, semel artificialiter partum praematurum provocavit. Conjugata vix 3'' erat, promontorium admodum prominebat. Operatione hebd. 34<sup>ta</sup> facta die 4<sup>to</sup> infantem vivum, qui tamen post horas 48 mortuus est, in lucem provocavit! **Boeck** (Hamburg. Zeitschr. Bd. 17. p. 448.) bis in multipara, quae antea duabus perforationibus submissa fuerat, ob pelvis angustiam optimo cum successu operationem instituit. **Forster Wells** (Archives génér. de Médec. T. VII. p. 951.) quater ob pelvis angustiam (C. 23'', 3') extremo 7<sup>mo</sup> et medio 8<sup>vo</sup> mense methodo *Hamiltoniana* usus post eam velamentorum punctationem instituit. Dolores 4, 14, 34, 38 horis post punctationem exorti, infantesque vivi manserunt. **Samuel Brame** (Jahresberichte. Jahrg. 2. H. 7. p. 70.)

semel ob pelvis angustiam in multipara antea semel perforatione, semel embryotomia, semel abortu, semel naturali partu praematurato soluta, mense 8<sup>o</sup> velamentorum punctione usurpata, dolores brevi quidem coeptos, at irregulares junctosque cum horripilationibus observavit. Duabus Secalis cornuti dosibus porrectis, hora post punctonem 32<sup>da</sup> femina vivum infantem enixa est. — **Lanz** (Neue Zeitschr. Bd. 14. p. 127.) bis balneis, injectionibus, abdominis perfrictione et salibus mediis operatus febrim et abdominis dolorem existere vidit. Alter infans situ transverso post versionem in lucem est editus. **Patterson** (Allg. Repert. Jahrg. XVI. p. 85.) bis in una eademque femina ob pelvim angustam 7<sup>mo</sup> mense operatus magnas Secalis cornuti doses (in univ. 6 drachmas) porrexit. Partus hora 39 post eam rationem initam ad finem adductus infantem vivum edidit. Casu altero partus 6<sup>to</sup> post primam dosim die consecutus, drachmis 34 (!) omnino porrectis. Deinde velamentis punctis infans altero pede in vaginam ingressus est, quam ob rem altero detracto, quum interim funiculus umbilicalis circa collum necteretur, doloribus cessantibus, ob partum morantem vita orbatus est. **Houbeau** (Jahrbücher. III. Suppl.-Bd. p. 209.) bis ob pelvim angustam in multipara prius ope forcipis infantibus mortuis liberata mense 8<sup>o</sup> operationem peregit. Spongiae pressae usus primum tentatus propter uteri os conclusum non successit, quam ob causam obturamento adhibito, quum per 4 dies dolores cessarent intermitterentque, Secale cornutum propinatum. Doloribus exortis, quum tamen caput moraretur, forceps applicata. Infans, diu aegrotans, servatus. In graviditate sequenti spongia pressa in usum vocata, dolores tamen parum efficaces intermittebant. Die 6<sup>to</sup> velamentis punctis, quum post 8 horas nulla justa pariendi actio intrasset, Secale cornutum porrectum est. Dolores, brevi suscitati, satis validi erant, capiteque morante ope forcipis soluto, infans conservatus. — **Pinel-Grandchamp** (Hamburg. Zeitschr. Bd. XVIII. p. 356.) semel in multipara, cujus Conjug. 3'', sinistra diametros obliqua 2'' + 10''', dextra 2'' + 8''

erat, operatione mense 8<sup>o</sup> ad m. *Klugii* peracta, tribus diebus infantem vivum et in vivis servatum produxit. — **Nichet** (Allg. Repert. Jahrg. XVII. Jun. p. 199.) bis operatus priore in casu in primipara, cujus pelvis omnibus diametris justo minor uno pollice coarctata erat, mense 7<sup>mo</sup> a spongia pressa auxilium petivit. Partu post horas 41 consecuto infans, quia lacte mulieris vetulae depravato usus fuerat, post diem 10<sup>m</sup> mortem obiit. Alter casus non descriptus. — **Billeter et Pfenniger** (Allg. Repert. Jahrg. XVII. Dec. p. 108.) ter methodum *Mampii* adhibentes partum celeriter subsequi, semper tamen magnis videre implicitum difficultatibus. Unus infans in vivis mansit, alter jam mortuus editus, tertius, qui praevio brachio versione evolutus fuerat, paulo post decessit. — **Meyer-Hoffmeister** (Allgem. Repert. Jahrg. XVII. Dec. p. 111—112.) semel in multipara, quae octavum gravida antea ope versionis infante mortuo liberata fuerat, methodo *Klugii* usus infantem mortuum in lucem protraxit, matre post horas 3, quum in lectulo corpus elevatura esset, repente metrorrhagia et convulsionibus comitantibus mortua. Sectio gasi perquam graveolentis in utero et vagina nec non in dextero cordis atrio et ventriculo accumulationem ostendit. **Godefroy** (Jahresber. 1843. p. 413.) semel mense 8<sup>o</sup> secundum m. *Klugii* operatione facta, post spongiae pressae immissionem, 8 per dies repetitam, partum pedibus praeviis subsequi vidit, quo per extractionem finito, infans horis 15 transactis mortuus est. **Hueter** (Daniel, Diss. de p. p. a.) 12<sup>ies</sup> eventu secundo operatus est, cujus viri methodus qualem habeat efficaciam supra memoravimus. **Hoening** et **Jacoby** (Neue Zeitschr. etc. Bd. 16. p. 424.) semel in multipara ob asthma, alvi et urinae retentionem, ascite accedente, heb. 30<sup>ma</sup> ad m. *Klugii* operationem fecerunt, cujus quum non satis magna esset efficacia, aegrotae viribus aperte labentibus, ad electromagnetismum adhibendum confugerunt. Qui quamquam validas uteri contractiones effecit, tamen, cum velamenta, uteri ore aperto, etiam doloribus silentibus, tensa essent, inde-

que abnormem aquarum accumulationem suspicarentur, velamenta ad artis regulas pungenda censuerunt. Post dimidiam horam infans vivus provenit, qui tamen cura deficiente post 24 hor. decessit. Mater morbi exacerbationi succubuit et Sectio Carcinoma dexteri ovarii ostendit. **Van Huevel** (Vierteljahr-schrift. 1. Jahrg. p. 185.) semel in primipara ob pelvis angustiam (Conjug. 3". — Rhachitis.) ineunte mense 9<sup>no</sup> ad rationem *Klugii* operatus, partum post dies 3 successisse ait, infante servato. **Haselberg** (Vierteljahr-schr. etc. 1. Jahrg. Quart. 4. p. 165.) semel in multipara, jam aliquoties summa difficultate ope forcipis soluta, ob pelvim coarctatam (C. 3½") operationem peregit. Postquam methodum *Schoellerianam* dies 22 continua-tam, quamvis Secali cornuto, quod tantum nauseam et vomitu-rationem commovit, adjuvante, nihil prodesse vidit, H. spongiam pressam applicuit, quo facto diebus duobus elapsis velamenta sponte rupta sunt. Secale cornutum iterum porrectum vomitum impetuosum provocavit, horripilatio et febris vehemens inflam-matoria ingruerunt. Quo impetu venaesectione et pulvere aëro-foro sedato, aliquot post horas infans 9 mensium mortuus pro-venit. Mater reconvaleuit. — **Heidenreich** (Jahrbücher. 5. Suppl.-Bd. p. 128.) semel methodum *Schoellerianam* secutus ob pelvis angustiam (C. 2¼") in femina prius bis perforatione, bis partu praemature artificiali liberata operationem instituit. Altero in casu ob prolapsum uteri gravidam ineunte mense 8<sup>vo</sup> operatus viscus reposuit et obturamento in vaginam inducto dolores excitare studuit. Eventus utroque in casu et matri et infanti prosper. **Feldmann** (Jahrbücher. 3 Supplemt.-Bd. p. 209.) semel ob pelvim angustam in multipara, ter ope per-fo-rationis liberata, hebdomade 29<sup>na</sup> — 30<sup>ma</sup> *Schoelleri* methodum usurpavit. Doloribus veris post horas 14 coeptis, die 3<sup>to</sup> situs infantis transversus (1<sup>num</sup> genus, 1<sup>ma</sup> species secundum Naegele.) cognitus est. Itaque *Feldmann* velamentis ruptis infantem in pedes vertit, tamen, cum capitis solutio difficulter et tarde suc-cederet, artis auxilio infans occubuit. **Boecker** (Viertel-

jahr-schrift. Jahrg. 2. Bd. 3. p. 114.) semel methodum secutus *Klugii*, Borace rite adjutam, die tertio uteri os satis apertum animadvertit, quo facto methodo *Hamiltoni* usus postero die infantem praeviis pedibus usque ad femora egredi vidit, reliquo corpore uteri strictura retento. Opium sexagesimis 12 spasmus sedavit, infante tamen jam mortuo. **Hofmann** (Neue Zeit-schrift etc. Bd. XIX. p. 90.) semel in multipara, jam ante bis ope forcipis et perforatione mortuis liberis soluta methodo *Klugii*, uti conjiciebat, exeunte mense 9<sup>no</sup> usus, fere horis 24 post spongiam pressam applicitam ejusque vim frictionibus ac Borace valde adjutam, mulierem infantem vivum eniti vidit, qui tamen 12 post partum horis mortem obiit. Serius idem (Ver-handlungen der Gesellsch. für Geburtshülfe in Berlin. Jahrg. 1. p. 169 seq.) in multipara, arte forcipis operatione difficillima mortuo infante soluta, ob pelvis exitum dexteri tuberis Ischii situ inferiore et versione Introrsum coarctatum (Distantia tuber. Isch. 2¼") operationem hebdomade 33<sup>ta</sup> suscepit, et, postquam, quamvis partibus frustra diligentissime praeparatis, *Klugii* et *Schoelleri* methodi optime in usum vocatae nil profecerunt et ne partes quidem satis praepararunt, velamentorum punctonem instituit. Post 7 horas horripilatio intravit, et, 6 horis exactis, infantem praeviis clunibus vidit. Dolores languescentes optimo cum successu Borace adjuti, quum autem humeri in pelvim venissent, partus cessavit. Jam, extractione, quae multum dif-ficultatis obtulit, suscepta, aegre manus in altum sublatas solvere contigit. Capite altius in pelvis introitu posito, quum mani-pulatio *Smellii* non succederet, ad forcipis usum confugit. At, quoniam caput aliis situm erat, forcipe remota, manipulatio *Smellii* iterum tentata tandem bene precessit. Forceps iterum applicata se intorsit, unde quum concludi nequiret, brachia, quantum fieri potuit, panno arcissime circumligata sunt. Tractio-nibus quidem caput paululum inferius descendit, tamen, instru-mentum ne lapsaret, periculum erat. Brachiis instrumenti tota manu prehensis magnaue vi adhibita aegerrime regulatis, caput

infantis mortui in lucem protractum. — Quae cum hora 11<sup>ma</sup> noctu facta essent, hora 3<sup>ia</sup> mane Metritis prorupit, cui horripilatio ista pro symptomate prodromo praecessit. — Femina die 8<sup>o</sup> mortua, sectio non concessa. — **H. Naegle** (Vierteljahrsschrift etc. Jahrg. 2. Bd. 3. p. 114.) semel ad methodum *Schoelleri* operatione instituta, partu die 14<sup>mo</sup> post obturamentum primo immissum consequente, eventum habuit tum matrum infanti prosperrimum. **Cohen** (v. ej. method. descript.) semel ad suam methodum, in qua describenda accuratiora protulimus, operatione facta infantem servavit. **Grenser** (Verhandlungen der Gesellschaft f. Geburtskunde in Berlin. Jahrg. 2. p. 243.) semel in primipara scoliotica, ob pelvis angustiam (Rachitis. C. 3'' + 4'') hebdomade 35<sup>ta</sup> ad methodum *Schoellerianam*, ad quam praeparandam semicupia *Joergii* praemissa erant, operatione facta, demum globulis identidem mutatis die 4<sup>to</sup> dolores parum efficaces intrare vidit, qua re tamen genitalia eum in modum praeparata erant, ut die 5<sup>to</sup> spongia pressa introduci posset. Die postero vespere in conatu urinae emittendae velamenta dirupta. Fere post 27 horas infans progenitus, qui in vivis servatus est. — Serius semel in rachitica primipara, vagina duplici praedita, ob pelvim coarctatam (C. 3'' + 4''), hebdomade 33<sup>a</sup> spongiam pressam applicuit. Duabus horis post, dolores efficaces ingruerunt, et 12 horis exactis, quum adeo instrumento *Klugii* spongiam altius promotam extrahere nequiret, eam ibi reliquit. Dolores validi velamenta intenderunt, quae horis 4 post dirupta sunt. Hora 1½ transacta, infans natus. Partu septum duplicis vaginae destructum; infans in vivis mansit. — **Hermann** (Jahrbücher. 1847. Nr. 11. p. 190 seq.), *Bernae*, 14<sup>ies</sup> ob pelvis angustiam et semel ob periculum, ne foetus ante justum pariendi tempus emoreretur, in 10 multiparis velamentorum punctiōnem adhibuit. In prima ex his pelvis introitus justo minor erat, feminaeque jam antea difficillimos partus ediderat. Operatio, mense 9<sup>no</sup> ineunte ope instrumenti a *Reisinger* commendati instituta, horarum 12 spatio validos dolores suscitavit

infansque, qui praeviis humeris se obtulit, in pedes versus et extractus mortuus jam erat. — Altera semel mense 8<sup>o</sup> sola naturae vi auxiliatrice enixa est, deinde 4<sup>ter</sup> ope forcipis liberis magnis et mortuis soluta. Operatio, mense 8<sup>vi</sup> exitu instrumento a *Fried* invento peracta, partum intra horas 12 provocavit, vesicaeque, quae sese formaverat, dirupta, infans, quamquam praeviis natibus arte celeriter evolutus est, nihilosecius tamen jam mortuus erat. Tertia jam bis forcipe summa difficultate infantes mortuos ediderat, in qua quum tertiae graviditatis mense 8<sup>o</sup> exeunte velamenta Cathetere in viris solito argenteo dirupta essent, horis 14 exactis dolores horas 9 continuati, indeque languescens intrarunt. — Infans forcipe eductus post diem 3 obiit. Viginti inde mensibus elapsis, mense 9<sup>no</sup> inito, velamentorum punctiōne solito altius instituta fere post horas 24 horror ingruit, quo solutione nitri cum hyoscyamo interne adhibita mitigato, aliquot horis exactis, infans asphycticus, in vivis servatus, prodiit. Quarta ter abortum ediderat semelque mense octavi initio naturali partu praemature soluta est. Fine mense 7<sup>mi</sup> in graviditate 3<sup>ta</sup> symptomata, ex quibus foetus ante partum mori metui poterat, apparere, quam ob rem primis mense 8<sup>vi</sup> diebus velamentorum punctiōnem, ante meridiem institutam, vesperi iterarunt. Die insequenti mane dolores exstiterunt, infansque ope forcipis extractus mortuus jam erat. Quinta ter maxima difficultate magnos, eosque mortuos infantes pepererat. Mense 8<sup>o</sup> exeunte cathetere crasso velamenta dirupta, doloresque post horas 40 excitati infantem vivum in lucem produxerunt. In graviditate secuta eadem, qua prius usi erant, via inita, dolores post horas 27 exorti, infansque praeviis clunibus apprensus statim post partum occubuit. In graviditate postera operatione ad methodum *Meissneri* facta, fere horis 31 transactis, dolores exstiterunt, quibus per horas 6½ durantibus, infans vivus lucem adspexit. In sexta, quae difficillimum ope forcipis mortui infantis partum subierat, velamentis, ut supra, initio mense 9<sup>ni</sup> cathetere diruptis, post horas 24 dolores coeperunt, qui quum fere horas 15 con-

tinuati essent, infans asphycticus versione et extractione est editus. Septima, bis difficillime vivos infantes enixa, post rursus tres mortuos ediderat, qua de causa quatuor ante justum pariendi tempus hebdomadibus eodem, quo supra diximus, modo velamenta cathetere dirupta. Mulier febris jam correpta, horis 31 elapsis, facile peperit, infans magnam strumam prae se ferens cutem habuit intense rubram, maculis lividis inspersam brevique tempore est mortuus. Octava semel perforatione, semel forcipe, idque difficillime infante vivo soluta pelvis exitum perquam coarctatum habuit. Mense 9<sup>mo</sup> inito aquae cathetere ruptae sunt, doloribusque brevi intrantibus, fere post horas 30 horror terribilis ingruit. Quo nitro et hyoscyamo propinatis sedato, infantis vivi in vivisque etiam servati partus debitam operationi mercedem praebuit. In graviditate sequenti, operatione ad *Meissneri* rationem suscepta, post horas fere 37 dolores validi inceperunt, at infans, vivus editus, tamen die tertio extremum spiritum exhalavit. In graviditate postera operatione pariter ad methodum *Meissneri* facta, dolores, post horas 31 coepti, unius horae spatio infantis, in vivis etiam servati, partum provocarunt, cujus in corpore in sinistrae papillae mamillaris regione, pariter atque in placenta, laesionis instrumento effectae vestigia cernebantur. — In nona, quae perforationi submissa fuerat, operationem ad *Meissneri* methodum exsecutus, *Hermann* post horas 34 dolores existere vidit, quibus infans clunibus praevis in lucem emissus est. Mater, die 3<sup>to</sup> Metro-peritonitide puerperali (eo tempore Bernae epidemica) afflicta, tamen restituta fuit. Decima pelvi, ut conjiciebatur, ostomalacia praedita semel jam forcipis ope infante mortuo fuerat liberata. Medio mense 9<sup>mo</sup> velamentorum punctiōnem, primum ad *Meissneri* rationem factam, horis 24 praeterlapsis, ad methodum *Wenzelianam* iteravit. Tertio denique die, a Secali cornuto auxilio petito, infantis vivi consecutus est partus. — **Dorrington** (Vierteljahrschrift. Jahrg. IV. 1847. Bd. III. p. 63.) semel (incertum ob quam causam), quum spongiam pressam per dies tres applicatam successu carere

vidisset, galvanismo usus est. Sexagesimis 20 dolores intrarunt, qui tamen non durabant, nisi galvanismo agente. Post horas 8½, uteri ore vixdum aperto, aquae defluerunt. Die 3<sup>to</sup> partu, horas 9 continuato, infans mortuus praevis clunibus prodiit, cujus facies, clunes ac scrotum admodum ecchymotica. — **Radford** (Ibid. Bd. II. p. 72.) semel ob profusam Metrorrhagiam, postquam velamentorum punctio uterique perfrictiones non satis celeriter votis responderunt, ad galvanismum utendum aggressus, dolores extemplo incipere, sanguinis profuvium sisti, et post horas 6 infantem vivum provenire vidit.

Itaque casus omnino 362 memorati, quibus tamen, quae de partu praematurō artificiali experti sunt, nequaquam omnia continentur, aliis nonnullis observationibus, quas, vehementer dolemus, non nisi nominibus afferre nos posse, remanentibus. Operationem instituerunt: semel: *Bili, Blyburg, Borck, Brahes, Delmas, Drescher, Dubourge de Rollot, Elsaesser, Gregory, Hafner, Heane, Herriot, Hujel, Jaesche, Ingleby, Riecke, Schallenmüller, Toerugen, Velpeau, Wehn*, bis: *Campbell, Cisinelli, Fröhlich, Zaz*, ter: *Levrat, Ritgen* (Neue Zeitschr. Bd. 14. 1845. p. 123.), quater: *Hortlacher, Show*, quinquies: *Betschler, Haase*. — Quae observationes a nobis nostrum in numerum non receptae sunt, partim quia in operibus, quae adire licebat, tantum appellatas, non descriptas invenimus, partim quia nonnullas omnino non reperimus. His adnectendi sunt partus praematurō artificiales 64, quos, ceterum non cognitos, solum anno 1839 in regno Saxonico peractos esse novimus (Neue medicinisch-chirurgische Zeitung. 1845. Bd. 2. p. 349. Hofmann, über die statistisch. Verhältn. der K. F., Neue Zeitschr. 1847. Bd. 25. H. 1. p. 161 seq.). Igitur summa artificialium partuum praematurorum 641 efficitur, ab aetate clm<sup>i</sup> *Macaulay* usque ad nostra novissima tempora computatorum, quae summa ab illo, quem nuper *Hofmann* (l. c.) protulit, numero (524) casibus fere 117 differt. Cujus rei causa quae sit, ab hoc loco

alienum videatur subtilius quaesivisse, id tantum, operibus, ad quae provocavimus, comparatis, quemque nostram computationem satis veram cogniturum esse, nobis persuasum habemus. — Quibus praemissis, ad operationis eventum contemplandum orationem inflectimus, de quo tamen, quod magnopere dolendum est, non ex completo observationum numero conclusiones deducere licet.

Ex matribus 174 inter quas 20 primiparae erant, 13 perierunt, earumque una phlebitide uterina, duae uteri ruptura, tres febrī puerperali epidemica, una ruptura intestini propter herniam incarceratam, una ruptura vaginae, una gangraena uteri, una ex sequelis amputationis, propter osteosarcoma femoris rapide progrediens institutae, una miro quodam modo gaso in corde invento, una ex sequelis degenerationis ovarii, una metritide pessum data fuit. — Ex matribus 329 igitur 20 extinctas esse cognoscas, quae ratio, si quidem cum operationum destruentium, difficultium ope forcipis operationum, nec non perforationum, nedum symphysiotomiae eventibus comparetur, dubium non est, quin admodum sit judicanda prospera. Nihilosecius tamen ea ratione longe in melius mutata, quam primo apparet ad aspectu, operationis, quod ad matrem attinet, adaugetur dignitas, si quidem, quae mortium fuerint causae, diligentius contemplatus eris. Supra 6 mulieres talibus vidimus absumptas affectionibus, quae cum operatione, de qua cum maxime quaerimus, nil habeant conjunctionis, quo casus a *Clough* memoratus accedit, in quo mater quidem uteri ruptura interiit, nobis tamen, praepostera auxilii latione id factum esse, adjicere licet. Utrumque brachium praeviam erat, quae quum *Clough* reponere nequiret tota manu in uteri cavitatem, versionem in pedes tentaturus, penetravit, quod tamen quum summae esset difficultatis, femina nondum soluta opitulantis succubuit violentiae. Quae quoniam ita sunt, operatio certe temporis prioris omnibus, quae ex hac re repeti possint, opprobrii caret idemque, confidimus, optimo jure de aetate recentiore posse praedicari. *Busch* nisi partum dilatatorio susci-

tare conatus esset, feminae vitae fortasse pepercisset: in casu, a *Kiewisch* prolato, tantum, quia in pelvis spatii djudicandis vehementer erraverant, uterus disruptus est, quo accedit, quod in primipara instituta fuerat operatio. Casus, quem *Rumbotham* enarrat, quamquam nobis, qualis fuerit, cognitus non est, tamen, ut ex obscurioribus de ejus praxi aliorum auctorum locis conjici posse videtur, ad illos trahendus est casus, in quibus immensas Secalis cornuti doses propinavit. In casibus, ab *Ulsamer* et *Kiewisch* traditis, ubi tres mulieres febrī puerperali epidemicae occubuerunt, earum mors, non magis mirabilis quam alias, nullo modo operationi vitio dari possit. Quam *Meyer-Hoffmeister* memoriae prodidit, observatio in crimen nostrae operationi verti non potest, quippe qua in femina osteomalacica, in qua omnia metui queunt, operationem institutam videamus. Tum observatio, ab *Hofmann* prolata, nil aliud, nisi organi ad nostros incursus tolerantiam certis coërcitam esse limitibus, evincit. Casus a *Kiewisch* (Rupturam intestini), *Ashwell* et *Hoeninger* commemoratos, nequaquam huc trahendos esse, quis est, qui non videat? Denique casus a *Stoltz* et *Michaëlis* proditi, hic etiam pariter atque ubique erroribus locum esse, argumento sunt.

Ex infantibus 190 vivi sunt editi 147, mortui 43, ex prioribus servati sunt 120, postea interierunt 27, quorum 13 sitibus infastis prodierunt. Hi situs abnormes omnino in infantibus 21 observati, inter quos tamen non vixit, nisi unus. Quae ratio, numerum si respicias, illa ex praxi priorum temporum petita ratione melior, multo tamen, si eventum spectas, deterior. Nostros casus si cum illis prioribus contuleris, hanc videbis exituram rationem:

ex infantibus 160 vivi prodierunt 111, ex quibus servati sunt 84

— 190 — 147, — 120

ex quo numero rationem, in praxi recentiore observatam, longe meliorem esse cernimus. Quos numeros si conjungas, inter infantes 350 vivos discimus editos 258, in vivis servatos 204. — Huc si Anglorum casuisticam (*Hamilton, Moir, Rumbotham*,

*Lee*) adjicias, ex infantibus 500 videas vivos lucem adspexisse 363, in vitaque mansisse 288.

Ad methodos quod attinet, in universum velamentorum punctioni *Wenzeliana*, contendere possumus, praeceteris omnibus haud dubie palmam deferendam esse, namque praeter summam in utendo facilitatem ubique auxilium ejus admodum efficax est cognitum. Multo tardior rationis a *Kluge* commendatae visa est energia, qua inferior etiam methodus *Schoelleri*, quae utraque hoc sibi vindicat peculiare, quod irritatione adversa non caret. Methodus ab *Hamilton* prolata, uti nostra fert opinio, suo auctori non diu superstes erit, quem eundem eventum *Secalis cornuti* usui exoptandum esse judicamus. *Hueteri* methodus, quamvis, qua nititur idea, satis probabilis sit, vix tamen diu locum suum tuebitur, denique de methodis a *Schreiber*, *Cohen* et *Kiewisch* propositis, quid faciendum sit judicii, tempori futuro relictum est, ut comperiat.



## EPICRISIS.

Ex praemissis, si dissertationi nostrae hisce sententiis finem imposuerimus, non omnino perperam nobis videmur acturi esse. — Censemus igitur.

1) Partum praematurum artificialem, si quidem circumspice adhibeatur, operationem esse omnis matris periculi expertem.

2) Eandem rationem esse infanti maxime salutiferam, quae certissime id, quod pollicetur, satis explendo operationes violentiores magno opere coërcere possit, etiamsi forte omnino eas tollere non contingat.

3) Inesse quaedam operationi incommoda, ad quae praecipue difficultas in capitis infantilis cum pelvi ratione constituenda et situs infausti tam frequenter obvii atque lethalis auxilii manu et instrumentis lati vis, trahenda videantur. Reliqua omnia opprobria nihili aestimanda.

4) Operationis usum, eas ob causas, ita restringendum esse, ut neque in primiparis, nec in pelvis deformitatibus longius progredientibus suscipiatur, quod si fiat, non sit, nisi in exceptione rarissima.

5) In operatione peragenda a methodis jungendis aliquam exspectari posse utilitatem, ut spongiae pressae usui casibus singulis accommodato, haudquaquam ea via pervicaciter partum ad effectum ducendum esse rati, velamentorum punctiorem subjungamus.

6) Commodum videri, si non, uti complures voluerunt, ad dolores suscitatos augendos gravidas operatione peracta meare jubeas, sed potius, idque non solum doloribus orientibus, verum etiam aliquo tempore ante, feminas situ apto quietem servare praecipias, et, si forte mature situm abnormem cognoveris, in casibus, ubi fieri queat, prius manipulationes a *Wigand* commendatas in usum convertas.

## THESES.

I. Methodos partus praematuri artificialis per Galvanismum et Secale cornutum provocandi rejiciendas arbitror.

II. Frigidarum injectionum ad partum suscitandum usum etiam atque etiam commendandum censeo.

III. Quod in lotio Scarlatina laborantium albumen insit, inde nullum certum hydropis imminenti indicium repeti posse contendo.

IV. Melancholiae causam semper materialem esse judico.

V. Arteriae popliteae vincturam omnino aspernandam esse, reor.

VI. Cholerae morbum esse nervosum, affirmo.